Zweiter Jahresbericht

über das

Luisenstädtische Gymnasium

in

BERLIN.

Inhalt:

1. De Planci et Ciceronis epistulis scripsit Bruno Nake.
2. Schulnachrichten vom Director und Prof. Dr. Th. Kock.

Berlin, 1866.
Druck von Franz Krüger, Linden-Strasse 40.

DE

PLANCI ET CICERONIS

EPISTVLIS

SCRIPSIT

BRVNO NAKE

Conanti mihi scribere de M. Tulli Ciceronis et L. Munati Planci epistulis, quae priorem partem libri decimi epistularum Tullianarum efficiunt, primum quaerendum uidetur, quo quaeque tempore data sit. Attribuit quidem singulis epistulis et his et ceteris singulos uel dies uel menses Ioh. de Gruber in libello qui inscriptus est ‚Quaestio de tempore et serie epistolarum Ciceronis' (editus est Sundiae a. MDCCCXXXVI.) multisque epistulis corrigendo quod ante eum alii statuerant non solum alios sed suos dies reddidit. Quicumque uero perspexerint quantum difficultatis atque laboris ea res habeat, non mirabuntur multos esse locos quibus Gruberi ipsius sententia corrigenda sit. Correxerunt igitur aliqua ex parte omnes fere qui Tullianas epistulas ediderunt, praeter hos alii.

Epistulae sunt uiginti quinque, cum de Gruber optimo iure unius et uicesimae particulam septimam a sex prioribus seiunxerit eamque per se epistulam efficere docuerit. Eas epistulas ille hoc ordine datas esse putat: 1, 2, 3, 4, 5, 6, 8, 7, 10, 12, 9, 14, 11, 15, 13, 17, 21. § 7, 18, 21. § 1—6, 19, 20, 16, 23, 22, 24. Quarum ne tertia quidem in parte dies quibus missae sunt in codice Mediceo habemus ascriptos; sunt enim in sexta decima, duodecima, quarta decima, uicesima Tullianis, Planci uicesima tertia et uicesima quarta. Iam in tractandis ceteris Gruberi ordinem sequamur.

Primam epistulam de Gruber (l. s. pag. 32.) a Cicerone scriptam esse dicit ‚post reditum in urbem, quo Kal. Sept.[1]) peruenit', Schuetz, Abeken (Cicero in seinen Briefen pag. 383.), Suepfle, Frey extremo mense Septembri argumentis non adlatis. Mihi ipsi quoque circiter Kalendas Octobris anni p. u. c. DCCX.

1) Rectius Abeken l. s. pag. 379. Ciceronem non Kalendis, sed pridie Kalendas Sept. Romam uenisse narrat, id quod ex orat. Phil. I. 5. §§ 11. et 12. et V. 7. § 19. cognoscimus. Quae Cicero in l. XII. ep. 25. § 3. ad Cornificium scripsit primam orationem Philipp. significans (‚in patriam omni festinatione properaui postridieque ... liber unus fui'), haec quidem cum illo die minus conueniunt, cum orationem a. d. IIII. Non. Sept. habuerit, sed in ea epistula temporis parum diligenter uidetur habuisse rationem.

uidetur missa esse. Cicero enim, ut erat anxii cautique animi, paullo post interfectum Caesarem Roma decesserat, ut in Achaiam se conferret, pridie Kal. Sept. mutato consilio in urbem rediit. Iam primam epistulam longiore aliquo temporis spatio interiecto ad Plancum datam esse ex ipsius Ciceronis uerbis cognoscimus his: ‚Posteaquam de meo cursu rei publicae sum uoce reuocatus, numquam per M. Antonium quietus fui'. Quae autem in eadem epist. particula prima secuntur (‚ne uoltum quidem' et q. s.), ea accuratius ante quem diem epistula non possit data esse docent, quippe quae ita scripta sint, ut hominem Ciceroni inimicissimum eo tempore Romae fuisse adpareat. Cum uero M. Antonius a. d. IIII. Non. Sept., quo die Cicero primam orationem Philippicam habuit, in urbe non fuerit (Phil. V. 7. § 19.) neque redierit Romam ante septimum decimum diem, prima illa M. Tulli epistula ante hunc ipsum diem (a. d. XIII. Kal. Oct.) certe data esse non potest. Accedit quod neque ea quae in prima eius particula sunt postquam habuit Antonius illam orationem, qua primo post reditum die aduersario respondit, statim scripta uidentur, et Cicero cum se numquam per illum quietum fuisse diceret hunc potissimum diem significauit; qua ex re primam epistulam circiter Kalendas Octobris missam esse conligemus.

In errorem paullo maiorem Gruberum altera Ciceronis epistula induxit, quam eis diebus qui sunt ab a. d. V. Id. Dec. ad a. d. XIII. Kal. Ian. anni DCCXI. scriptam esse putat (l. s. pag. 32.). Sane nihil est in eis litteris unde proficiscamur, ut quo die datae sint cognoscamus, nisi quod Cicero Antoni armatos narrat effecisse, ut in senatum tuto uenire non posset; at haec ipsa res si accurate omnia contemplabimur nobis suppeditabit, unde ratiocinando aliquid proficiamus. Kalendis Sept. enim, quo die Cicero in senatum non uenerat, cum pridie Romam redisset, alteram huius libri epistulam scriptam non esse adparet, cum prima epistula — ante quam Ciceronem nullam ad Plancum dedisse quae in § 1. scripta sunt satis docent — ipsa multo post Kalendas Sept. missa sit. Neque erat cur M. Tullius de vita sua timeret ante quam odium quo ardebat in Antonium profudisset. Profudit a. d. IIII. Non. Sept. habita prima oratione Philippica, quae effecit, ut ille inimicitias ei indiceret (Phil. V. 7. 19.). Quo ex die de Gruber putat Ciceronem ad a. d. XIII. Kal. Ian. in senatum uenire non esse ausum. Cum uero grauioribus quoque die periculis inpendentibus extremo[1]) mense Octobri

1) In eo de Gruber et Abeken (l. s. pag. 381. al.) errauerunt, nisi fallor, cum Cicero non extremo sed medio mense Octobri urbe excessisse uideatur. Uterque enim litteras, quas habemus in epp. ad Attic. XV. 13., a. d. VIII. Kal. Nou. datas esse statuit, alter ex Puteolano, alter aut Puteolano aut Cumano, quae dubitatio ad nostram quidem quaestionem nihil facit. Iam uero Cicero eo

Roma excesserit neque prius in urbem redierit quam a. d. V. Id. Dec., cum Antonius cum exercitu aduersus D. Brutum in Galliam esset profectus, de Gruber alteram Ciceronis epistulam illis mensis Dec. diebus (ex a. d. V. Id. Dec. ad a. d. XIIII. Kal. Ian.) datam esse statuit. At qui tandem cum mense Decembri prima M. Tulli uerba conueniunt haec: ,Meum studium honori tuo pro necessitudine nostra non defuisset, si aut tuto in senatum aut honeste uenire potuissem'? Nonne habitum esse ostendunt senatum, Ciceronem uenire non esse ausum, cum timeret ne Antoni armati uitae suae periculum adferrent? Quod neutrum factum est illis diebus (dies dico ex a. d. V. Id. Dec. ad XIII. Kal. Ian.). In quinta enim oratione Phil. (c. 11. § 30.) Cicero senatum omnino non conuocatum esse tradit ex quo die Antonius Roma excessisset. Ut tamen senatus habitus esset, quid tandem Cicero in senatu Antonium timuisset absentem castraque habentem in Gallia? Quidnam periculi in templis deorum ab armatis fuisset, in publico, in domibus non fuisset? Immo Cicero ipse in epistula quadam ad D. Brutum missa (XI. 6. 2.): ,Cum tribuni pl.' inquit ,edixissent senatus adesset a. d. XIIII. Kal. Ian. . . . quamquam statueram in senatum ante Kal. Ian. non uenire . . . in senatum veni'. Haecine eius sunt, cui uis ab armatis adlata libere agendi potestatem ademerit? Noluit profecto facere quod si uoluisset potuisset. Quae cum ita sint hanc alteram epistulam scriptam esse intellegimus non mense Decembri postquam Cicero in urbem rediit — quo a. d. V. Id. peruenit — sed ante quam urbe excederet, quod medio Octobri factum esse supra demonstrauimus. Iam uero illud recordemur Antonium quo die data sit epistula Romae fuisse. Aderat ex a. d. XIII. Kal. Oct. ad a. d. VII. Id. Oct., quo die Brundisium profectus est (l. XII. epist. 23. § 2.). Hoc sane temporis spatio in periculo erat Cicero (Phil. V. 6. 18. al.), hoc in senatum uenire non audebat (Phil. V. 7. § 20.), ut alteram orationem Phil. non diceret sed scriberet. Itaque cum primam Ciceronis epistulam Kalendis fere Oct. datam esse uiderimus, hanc alteram scriptam esse adparet quo die senatus habitus est circiter Nonas Oct., post Kalendas certe — quo fere die ep. 1. missa est —

---

ipso die se duas epistulas ab Attico accepisse scripsit, quas aut a. d. XII. Kal. Nou. aut XII. et XIII. aut ante hos dies missas esse necesse est, cum epistulae Romae scriptae Ciceroni, cum uel in Puteolano uel in Cumano esset, ante quartum diem ex quo die datae essent adferri non potuerint (ad Att. XVI. 11. in.). Sequitur igitur ut Cicero a. d. XIII. Kal. Nou. certe iam in itinere fuerit, urbe excesserit non extremo sed medio mense Oct. Quod uere recteque a nobis iudicatum esse ex ea re cognoscas, quod Cicero Attico alteram orationem Philippicam, quam eum nolebat custodire, non ipse Romae tradidit, sed a. d. VIII. Kal. Nou. ex eadem illa uilla misit (Cic. l. s. § 1. cf. Abeken l. s. pag. 381. adnot.). Ibi ante illum diem non solum orationem Phil. siue totam siue aliqua saltem ex parte conscripserat, sed etiam in manibus ei erant libri de officiis (ep. s. § 6: ,Nos hic φιλοσοφοῦμεν' et q. s.).

ante quam a. d. VII. Id. Oct., quo Antonius ex urbe exiit (Minus recte Schuetz de medio Octobri cogitabat). Neque mirabimur Ciceronem ne tangere quidem proficiscendi consilium, quippe quod illis diebus nondum ceperit.

Tertiam libri X. epistulam, quam Graeuius et Schuetz anno DCCXI. missam esse uoluerant (alter uter mensem addit Ianuarium), superioris potius anni esse de Gruber l. s. pag. 32. docet. Neque Schuetz errore captus esset, si rationem quae intercedit inter Ciceronis et Planci epistulas respexisset. Huic enim tertiae M. Tulli epistulae illius respondet epistula quarta, quam mense Dec. a. DCCX. datam esse ex ipsius particulae quartae uerbis intellegimus his: ‚Sum in expectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe mense Ianuario geratur ut sciam'. Itaque cum Schuetz ipse hanc Planci epistulam anno DCCX. attribuisset, necesse fuit aliam aliquam rationem inter illas duas epistulas statueret intercedere. Quicumque uero ante quam iudicium faciat eas leget non dubitabit, quin quarta epistula ad tertiam rescripta sit. Plancus enim Furnium legatum Romam miserat eique mandata dederat cum ad alios tum ad Ciceronem. Hic cum consul ille designatus pluribus uerbis admonendus esse uideretur, ne suis deesset, legato litteras (X. 3.) dederat ad Plancum perferendas. Quod ita fuisse facile perspiciemus si prima Planci ipsius uerba haec: ‚Gratissimae mihi tuae litterae fuerunt, quas ex Furni sermone te scripsisse animaduerti' contendemus cum illis Tullianis (§ 1.): ‚Cum ipsum Furnium per se uidi libentissime, tum hoc libentius quod illum audiens te uidebar audire' et q. s. Sunt autem praeterea quae idem declarent. Cicero enim suae epistulae part. 2. quae necessitudines quamque ueteres sibi cum Planco essent exponit, ut his nisus profiteatur se nulla re nisi suo erga Plancum amore commotum missis litteris eum admonuisse, quem sciret nec monitis egere nec praeceptis. Quid quod hac adseueratione prolata sibi idem iterum adfirmandum esse putat, ne forte hominem sui amantem laedat? Iam Plancus ipse quoque suis litteris primum necessitudines illas commemorat, deinde se facturum esse pollicetur quae Cicero fieri uoluerit, denique eius cohortationem se commoturam fuisse profitetur, si umquam aliter ipse sensisset. Postremo iterum atque iterum se et Ciceroni et omnibus uiris bonis satisfacturum esse promittit. Utriusque igitur epistulae idem consilium est, eadem ratio, idem sententiarum ordo. Quid uero quod hae sententiae per se spectatae item Tullianae epistulae nos commonefaciunt, ut non solum epistula Planci Ciceronis epistulae respondere uideatur, sed enuntiata singulis enuntiatis, uerba uerbis. An differunt quae ille in altera particula scripsit haec: ‚Quaecumque in me bona sunt aut fortunae beneficio tributa aut meo labore parta' quaeque

M. Tullius eodem suarum litterarum loco: ,Omnia summa consecutus es uirtute duce comite fortuna', nisi quod haec Ciceronis sunt? Quae ille addidit: ,Etsi a te propter amorem carius sunt aestimata' — quis mirabitur qui meminerit laudis quam alter non magnam tribuerat sed diffuderat amplissimam? Planci illa (§ 2.) uu.: ,Omnia tua consilia mihi non magis prudentiae plena, quae summa est, uidentur quam fidelitatis' nonne mirifice consentiunt cum eis quae Cicero in extrema epistula scripserat: ,Nunc tantum significandum putaui, ut potius amorem tibi ostenderem meum, quam ostentarem prudentiam'? Nonne alterius sententia illa (§ 3.): ,Incumbe ... in eam curam et cogitationem, quae tibi summam dignitatem et gloriam adferat' accurate exprimitur alterius uerbis his: ,Quaecumque in me bona sunt ... tanta sunt, ut praeter bonam famam nihil desiderare uideantur', nisi quod illa laudantis sunt, haec laudati? Itaque siue has duas epistulas quae uniuersae sint spectamus, siue singulas utriusque sententias singulaque uerba, illud perspicuum est, quartam Planci epistulam tertiae Ciceronis respondere, ut hanc necesse sit datam esse anno DCCX., cum etiam illam Plancus ante Kalendas Ian. proximi anni miserit. Iam I. Frey non diem ascribit, sed mensem tantum Decembrem, I. de Gruber aut a. d. XIII. Kal. Ian. datam esse dicit epistulam aut antea atque (l. s. pag. 32.): ,Nam' inquit ,cur taceret prorsus suam Planci laudationem in senatu XIII. Kal. Ian. (cf. or. Ph. III. ex.) ac promitteret modo, quod iam praestiterat'. Sed certioribus terminis quo die missa sit epistula tertia circumscribere poterimus, si in ineunda dierum ratione a Planciana illa (ep. IIII.) proficiscemur, quam supra demonstrauimus datam esse anno DCCX. Licebit addere extremo mense Decembri; neque uero de ultimo anni die cogitabimus, cum Plancum, si hoc ipso die epistulam misisset, oblata occasione in part. 4. eius rei mentionem fecisse ueri simile sit. Itaque hunc in modum cogitando procedamus: Fingamus scriptam esse epistulam quartam ultimo quo potuit die — a. d. III. Kal. Ian. dico —; fingamus eo ipso die quo Furnius legatus, qui Ciceronis litteras reddidit, Roma ad Plancum peruenisset; fingamus legatum ipsum nulla mora interposita Roma excessisse postquam Cicero ei litteras illas perferendas tradidit. Haec si cogitatione nobis finxerimus epistulam tertiam a. d. XVIII. Kal. Ian. datam esse statuemus, cum de Gruber l. s. pag. 35. recte docuerit quindecim fere diebus epistulas Roma in Planci castra, quae ad Isaram flumen erant, perlatas esse. L. Munatius enim undecimam rescripsit ad eam Ciceronis epistulam, quae libri X. est duodecima (quod infra accuratius demonstrabimus), quam a. d. III. Id. Apr. datam esse constat. Cum uero Plancus post eum diem primum nonam epistulam miserit, tum demum illam quae Tullianae respondet

undecimam, duodecimam adparet nondum ad eum perlatam fuisse quo die nonam scripsit. Cuius nonae epistulae partic. III. quae a. d. VI. Kal. Maias gesserit narrat, ut aut eo die missa sit aut postea; quinto decimo certe die post illum diem quo data est ep. XII. nondum acceperat. Item quae in tractanda epistula XV. de proelio Mutinensi exponemus quindecim diebus opus fuisse declarabunt ad litteras Roma ad Plancum perferendas. Sed redeamus ad illam tertiam epistulam. Sane si nullis temporis spatiis interiectis tradidit M. Tullius Furnio epistulam, legatus profectus est, respondit Plancus remisitque tabellarium, si re uera ultimo quo potuit die scripta est ep. quarta — tertia a. d. XVIII. Kal. Ian. data est. Quis uero eas res hoc modo aliam post aliam accidisse sibi persuadeat, qui locorum, temporis, Planci denique tarditatis rationem habeat? Quis neutrum tantae celeritatis prorsus nouae atque inusitatae mentionem fecisse? Quae cum ita sint tertiam epistulam paucis diebus ante Idus Dec. datam esse nostro iure statuemus. Quid uero quod Cicero a. d. V. Id. Dec. Romam rediit? Qui sunt illi pauci dies? Non uerendum est ne longius uno die aberremus, si tertiam huius libri epistulam a. d. IIII. Id. Dec. a. DCCX. missam esse ponamus, cum eam post eum diem qui erat a. d. V. Id., ante Idus ipsas datam esse constet. Nonne Ciceronis erat, quippe qui esset consularis summae auctoritatis, cum in urbem redisset reique publicae denuo operam nauare conaretur, missis litteris Planci animum confirmare? Plurimum profecto intererat, quo esset animo in Antonium, qua uoluntate in D. Brutum, quo duceret exercitum suum.

Cum in tractanda hac tertia epistula mentionem fecerimus et quartae et nonae, oblata occasione pauca addam de quinta epistula et tertia decima. Quarum illam, quam Ciceronem ad quartam huius libri epistulam rescripsisse infra demonstrabimus, Schuetz mense Februario datam esse dicit, Suepfle et Frey extremo mense Februario nullis argumentis rationibusue adlatis. De Gruber ne mensem quidem sciri iudicat, cum duae tantum res certae sint, et anno DCCXI. missam esse epistulam quintam et ante sextam, quae a. d. XIII. Kal. Apr. data est. Neque crimini dederim Grubero cautum eum fuisse, neque certi quicquam inuestigabimus, tamen ea de re illis adsentior, cum mense Februario Ciceronem rescripsisse prorsus ueri simile sit. Anni tempus enim fecit, ut quarta decimi libri epistula — binas litteras miserat Plancus eodem exemplo (X. 5. 1.) — cum extremo mense Decembri data esset, aut extremo Ianuario Romam perueniret aut postea (cf. Fleckeiseni annal. a. 1864. pag. 66.). Itaque cum mense Martio Cicero sextam h. lib. epistulam dederit (a. d. XIII. Kal. Maias) ad quartam Februario mense uidetur rescripsisse.

Alteram quam dixeram epistulam (decimi libri nona est) ex eis quae supra exposuimus aut a. d. V. Id. Maias Ciceroni cognoscimus redditam esse aut paucis diebus post. Quo facto ille quo modo in senatu res tractanda esset constituit (X. 13. 2.), deinde conuocato senatu de scripto sententiam dixit, tum demum missis litteris Planco respondit, quae epistula nobis tertia decima est. Quae cum ita essent et senatus responsa et Ciceronis epistula — tertiam decimam dico — una missa sunt paucis diebus post quam nona ep. reddita est siue ipsis Idibus Maiis siue paullo post. Quod de Gruber (l. s. pag. 34.) eam ep. ante Idus datam esse dicit atque (pag. 35.): ,uerba' inquit ,*Tu contexes extrema cum primis* facillime explicantur ex proxima 'ad Plancum ep.' (X. 13. 2. dicit et 14. 1.) ,quam igitur non multo ante scriptam esse oportet' — ea res et parui momenti est et in multos dies quadrat.

Secuntur duae epistulae, de quibus una quaestione nobis agendum est, undecima et quinta decima. Sed ea quaestio etsi una erit, tamen minime simplex. Habemus quidem in altera epistula non unum mensis diem, sed duo; at tantum abest, ut hi dies quo die scripta sit utraque epistula declarent, ut multas nobis difficultates adferant easque magnas. Itaque cum nemo eorum qui uel denuo ediderunt Ciceronis epistulas uel interpretando explicandoque operam eis nauauerunt, illas difficultates aut exposuerit aut sustulerit, singulas res quas Plancus gessit ex ordine contemplemur. Quod si faciemus, spero fore ut quo uelimus veniamus. — Undecima epistula scripta est quo tempore Plancus ad Lepidum iam miserat legatum, qui eum adduceret, ut se exercitumque suum cum Planci ipsius copiis coniungeret; responsum uero nondum rettulerat legatus. In tertia enim eius epistulae particula Plancus: ,Do quidem ego' inquit ,operam, ut etiam Lepidum ad huius rei societatem incitem, omniaque ei obsequia polliceor, si modo rem publicam respicere uolet'. Quae quo temporis momento scripta sint, grammatica uerborum interpretatio docet. Neque uero has litteras Plancus simul atque exarauit misit, cum putaret interesse sua (suam enim rem nominare solebat rem publicam) una cum suis conditionibus Lepidi responsa Romam renuntiare [1]). A quo ubi rediit quem miserat legatus rettulitque quae respondisset, Plancus quintam decimam epistulam scripsit. Itaque iam (in § 1.): ,Cum Lepido' inquit ,egi' et q. s.; quae in superiore epistula tetigerat modo, iam pluribus uerbis exponit; secuntur quae ille facere constituerit. Quibus rebus cognitis Plancus consilium

1) Ep. XV. part. 1.: ,His litteris scriptis quae postea accidissent scire te ad rem publicam putaui pertinere'.

cepit nulla interposita[1]) mora ad Lepidum proficiscendi, ut cum eo se coniungeret, exercitumque suum Isaram transiecit. Quam rem ita egisse uidetur, ut postridie eius diei quo consilium illud inisset, pontem in flumine faceret, tertio die exercitum transduceret, quem diem apud Orellium in part. 3. legimus a. d. IIII. Idus Maias fuisse. Cum uero ei nuntiatum esset (ipsius Planci uerbis utor) L. Antonium praemissum cum equitibus et cohortibus ad Forum Iuli uenisse, fratrem cum equitum quattuor milibus, ut occurreret ei, misit. Quod non eodem illo die, quo exercitus Isaram transportatus est, factum esse adparet, cum Plancus altero quoque loco certum diem ascripserit. Quid uero quod in codice Mediceo eum diem a. d. V. Idus Maias fuisse legitur — si hoc loco Orellio fidem habere licet? Quid quod omnibus qui Ciceronis epistulas ediderunt — uno excepto quod sciam — hi duo dies cum ipsa re conuenire uisi sunt? Num ante Plancus fratrem cum equitibus Lepido obuiam misit, quam pontem in Isara flumine fecisset? Quod factum non esse, nisi omnia me fallunt, patet. Neque enim ullam aliam cur Isaram transmiserit caussam adfert, nisi quod consilium cepisset suas copias cum Lepidi exercitu coniungere; Antoni nullam facit mentionem. Traiecto denique flumine cum de illius aduentu certior factus esset, mutato consilio iam non Lepidi castra petebat, sed hosti praesenti obuiam ducebat exercitum. Praeterea num Isara flumen non erat traiciendum quattuor illis equitum milibus, Planco ipsi, qui eos sequebatur, traiciendum erat? An quo alio modo flumen illud maximum[2]) transmiserunt equites? Denique si equites Plancus Antonio obuiam misisset ante quam Isaram flumen traiecisset — quo tandem ordine singulas res narrasset! Ἄτακτον profecto haberemus τάξιν. Neque erit qui illum putet quae supra in narrando praetermisisset infra subiecisse. Quod si fecisset, num scripsisset id quod scriptum habemus in part. 3.: ‚fratrem ... misi'? Num illud quod in eadem particula media: ‚exercitum ... traduxi'? Nonne ‚miseram' potius scribendum fuisset et ‚reliquum exercitum'? Ne illud quidem contra me facit, quod in ep. XI. part. 2.: ‚Cum Rhodanum' inquit ‚copias traiecissem fratremque cum tribus milibus equitum praemisissem, ipse iter ad Mutinam dirigerem, in itinere de proelio facto Brutoque et Mutina obsidione liberatis audiui'. In hac enim undecima epistula equitum tria milia fuisse narrat, in quinta decima quattuor milia; hos Antonio obuiam misit, illos D. Bruto auxilium ferre uoluit, cum neque de proelio Mutinensi certior factus esset neque de L. Antonio in ulteriorem Galliam praemisso. Quid quod

1) XV. 2. extr.: ‚cunctatus non sum; in cursu bonorum consiliorum Lepidum adiuuandum putavi'.

2) Plinius in nat. hist. III. 4. part. 33.: ‚Rhodanus ...' inquit ‚segnem deferens Ararim nec minus se ipso torrentis Isaram et Druentiam'.

illos se reuocasse dicit in eadem epist. particula? Quae cum ita sint neminem spero fore qui illud neget Plancum quattuor illa equitum milia postea Antonio obuiam misisse quam ipse cum exercitu Isaram flumen traiecit. Neque unius diei spatium inter eas res interfuisse uidetur, sed uel duo dies uel tres, cum Plancus his uerbis usus sit: ‚Cum uero mihi nuntiatum esset', neque ascripserit ‚eo die'. neque ‚postridie' [1]). Quo uero die fratrem cum equitibus contra Antonium misit, eodem quintam decimam huius libri epistulam dedit, cum ne undecimam quidem, quam aliquot ante dies scripserat, ante eum diem perferendam dedisset, ut subsecuturum narraret se fratrem esse, non subsecutum. Quod uero ipse maximis itineribus se profecturum esse pollicetur, quod nihil exercitus secum ducere statuit nisi legiones expeditas et relicuum equitatum, uoluisse [2]) saltem properare Plancum uidemus. Itaque ep. quinta decima uel quarto uel quinto die scripta est [3]) post quam Plancus quae respondisset Lepidus cognouit, illo die quem ipse in part. 3. altero loco posuit. — Quam rem pluribus uerbis explicaui quam placuit, cum ex ea haec quaestio tota penderet. Iam perspecta dierum ratione ipsi dies qui fuerint inuestigare poterimus. De Gruber et Suepfle undecimam epistulam a. d. VI. Id. Maias scriptam esse dicunt, quintam decimam a. d. IIII. Id. Maias; in ipsis Planci uerbis reddendis omnes quod sciam excepto uno codicem Mediceum secuti in ep. 15. part. 3. et ‚a. d. IIII. Id. Maias traduxi' scribunt et paullo infra ‚misi a. d. V. Idus Maias', neque quin haec recte se haberent uidentur dubitauisse. Cum uero quem diem Plancus in § 3. altero loco posuit (uerbis ‚misi' et q. s.) eum posteriorem fuisse uiderimus eo die, qui priore loco legitur (ante uoc. ‚traduxi'), aut hunc aut illum diem librarii errore in codice Mediceo deprauatum esse patet. Idem Ragazonius sensisse uidetur, qui [4]) altero loco nulla adlata ratione: ‚prid. Id. Maias' scripsit. Quo magis Graeuium miror (in ‚uaria lectione' II. pag. 325.) hoc commemorasse: ‚uulgo: ad pridie Idus Mai', ipsum scripsisse quae in codice leguntur. Praeterea Orellius in codice Ambrosiano 13. eodem illo loco docet scriptum esse: ‚a. d. III. Idus'. Iam cum supra illud probauerimus, ut spero, Plancum equites Antonio obuiam misisse uel duobus uel tribus

1) Quanta cunctatio quantaque agendi tarditas in Planco fuerit, ea ex re cognoscimus, quod aliquot certe dies ante Idus Maias se statim exercitum aduersus Antonium ducturum esse scripsit (X. 15. 3.), a. d. XII. Kal. Iun. castra habuit ad Isaram.

2) Quod Plancus iterum mutauit consilium (id quod ex lib. X. epp. 18. et 21b. intellegimus), id ad hanc quaestionem nihil pertinet.

3) Errat Schuetz, qui eam epistulam in Allobrogibus scriptam esse contendit, cum quae X. 15. 3. et X. 11. 2. legimus, eam e Gallia Narbonensi datam esse doceant.

4) Edit. Graeu. II. pag. 258.

diebus post quam exercitum Isaram traduxerit, eum aut traduxisse statuemus tertio uel quarto die ante eum diem quem in codice habemus (a. d. IIII. Id. Maias) aut misisse item uel tertio uel quarto die post illum diem qui in libris est (a. d. V. Id. Maias). Quorum utrum statuendum sit uidebimus, si ipsarum litterarum formam contemplabimur. Neque enim facilius quicquam fieri potuit, quam ut illud quod in § 3. legimus ,a. d. IIII. Idus Maias' scriberetur siue pro ,a. d. VII. Id.' siue pro ,a. d. VIII'. Quis uero sibi persuadeat librarium ,a. d. V. Idus Maias' exarauisse siue pro uu. ,pridie Idus' siue pro u. ,Idibus'? Quorum alterum utrum sane ei ponendum est, qui in epist. 15. part. 3. alterum diem transcribendo deprauatum esse indicat. At tantum abest, ut sola notarum litterarumque forma priorem diem corrigendum esse doceat, ut ipsae res hoc idem suadeant. Si enim Plancus aut pridie Idus aut ipsis Idibus equites Antonio obuiam missos esse scripsisset, ipse has litteras dedisset aut pridie Idus aut Idibus Maiis aut paullo post. Quid uero quod Cicero in epistulae 20. partic. 2. ad eundem Plancum scribens: ,Accepi' inquit ,litteras a collega tuo datas Idibus Maiis, in quibus erat te ad se scripsisse a Lepido non recipi Antonium: quod erit certius, si tu ad nos idem scripseris'? Haec cum Cicero scripserit quo die quintam decimam Planci epistulam iam accepisset, id quod infra demonstrabimus, hunc nuntium, quem Brutus a Planco collega de Lepido accepit, recentiorem fuisse ostendit quam illum Planciana epistula adlatum, ut Plancum adpareat posteriore aliquo die ad Brutum de Lepido scripsisse quam ad ipsum Ciceronem (ep. XV.). Cum autem Brutus de Planci ad se missa epistula Ciceronem ipsis Idibus Maiis certiorem fecerit, haec epistula Bruto necesse est reddita sit aut Idibus Maiis aut antea, ab ipso Planco data aliquot diebus ante; Brutus enim a. d. III. Non. Maias Dertonae fuit (lib. XI. ep. 10.), a. d. XII. Kal. Iun. Uercellis (lib. XI. ep. 19.). Itaque quinta decima illa epistula neque pridie Idus Maias scripta esse potest neque ullo alio die posteriore quam a. d. V. Idus Maias, ut Planci uerba ,misi a. d. V. Id. Maias' nequaquam inmutanda sint. Ut uero in ep. 15. part. 3. alterum diem inmutare non licet, ita licet corrigere priorem. Cum enim alterum proelium Mutinense[1]) ante

1) Cum D. Brutus neque eo ipso die, quo die pugnatum est, Antonium sequi potuerit neque postero die (epist. lib. XI. ep. 13. §§ 1. et 2.), cumque tertio denique die profectus (,Biduo me Antonius antecessit') a. d. III. Kal. Maias ex castris Regii litteras dederit ad Ciceronem (lib. XI. ep. 9. est), alterum proelium Mutinense patet aut a. d. V. Kal. Maias factum esse aut antea. Illo ipso die pugnatum esse iure Peter in annalibus suis a. 1841. dicit. Adparet enim D. Brutum post quam de Pansae morte certior factus est non multum temporis praetermisisse, quin de consulis interitu scriberet ad Ciceronem; qua de re se narrat certiorem factum esse postridie eius diei quo die pugnatum esset (XI, 13. 2.). Itaque cum nona illa epistula a. d. III. Kal. Maias data sit, proelium ipsum

eum certe diem factum esset qui erat a. d. IIII. Kal. Maias (Abeken l. s. pag. 416. adnot. 2. aut a. d. VII. Kal. proelium dicit fuisse aut antea), fieri potuit, ut L. Antonius a fratre praemissus cum primis copiis circiter Nonas Maias ad Forum Iuli perueniret, Plancus equites ei obuiam mitteret a. d. V. Idus Maias. — De 11. et 15. epistulis quae pluribus uerbis exposuimus, eis duas res, ut spero, consecuti sumus. Adparet enim, nisi me fallit, in Planci epist. l. X. 15. § 3. scribendum esse aut ‚a. d. VII. Idus Maias traduxi' aut ‚a. d. VIII. Id. M.'; praeterea quintam decimam epistulam intellegimus datam esse altero die qui in illa epist. particula est a. d. V. Idus Maias. Quod ita esse aliis argumentis adlatis probabimus ubi de undeuicesima huius libri epistula dixerimus.

Iam ad undecimam epistulam redeamus. Hanc cum scripserit L. Munatius prius quam quae Lepidus respondisset cognosceret, quintam decimam autem epistulam quarto fere die, ut supra demonstrauimus, post quam relata sunt illius mandata, sequitur ut scripta sit undecima aut quinque aut plus quinque diebus ante quintam decimam aut pridie aut a. d. III. Nonas aut antea, ut in hunc modum altera quaeque res alteram exceperit: epistulam undecimam Plancus aut pridie Nonas (uel a. d. III. Nonas) Maias scripsit aut paucis diebus ante (misit una cum quinta decima a. d. V. Idus Maias); Lepidi responsa relata sunt ad eum Nonis (uel pridie Nonas); pontem in Isara flumine fecit a. d. VIII. Idus (uel Nonis); exercitum transduxit a. d. VII. (uel VIII.) Idus; equites, qui Antonio occurrerent, misit a. d. V. Idus Maias. Cum uero Plancus quo tempore undecimam epistulam scriberet legatos, quos cum mandatis ad Lepidum misisset, breui redituros esse sperauerit, ut hanc ipsam ob caussam scriptam epistulam non daret perferendam, mitteret post quam illi redierunt, nullo erroris periculo undecimam epistulam post Kalendas Maias, ante Nonas scriptam esse statuemus.

Secuntur apud Gruberum hae tres epistulae: septima decima, unius et uicesimae particula septima, epist. duodeuicesima; quas epistulas ordine praestat tractare contrario.

---

a. d. V. Kal. commissum esse statuemus, quod a. d. IIII. Kal. factum esse non posse supra uidimus. Accedit etiam quod a. d. III. Non. Maias, qui dies octauus erat post quam pugnatum est, Romae incerti tantum erant de proelio rumores (id quod ex 14. epist. intellegimus), de consulum interitu nemo certior factus erat. Cum uero in l. XI. ep. 6. § 1. Lupum sexto die Mutina Romam peruenisse legamus — quis tandem credat nuntium illum grauissimum ne octauo quidem uel nono die Romam uenisse? — Quod Abeken l. s. pag. 416. adn. 2. hoc alterum proelium Mutinense aut a. d. VII. Kal. Maias fuisse dicit aut antea, aliqua ex parte ea res errore eum adfecit, quod codex quidam, in quo nunc nihil auctoritatis esse scimus, in extrema epistula 9. lib. XI. non uu. ‚III. Kal. Maias' habet, sed ‚IIII. K. Maias'. Eodem fere errore Schuetzius captus est.

De duodeuicesima epistula Grubero adsentior, qui eam a. d. XII. Kal. Iun. missam esse dicit, qui dies in partic. quarta commemoratur. Minus recte Schuetz eas litteras paullo post illum diem datas esse statuit. Nam Planci ipsius uerba quae in extrema epistula leguntur haec: ‚quibus' (diebus) ‚has litteras dabam' demonstrare uidentur certum diem supra commemoratum esse; neque uero ullus dies in epistula commemoratur nisi ille quem diximus a. d. XII. Kal. Iun. Accedit eo quod Plancus, post quam narrauit se eo die ab Isara castra mouisse, in extrema epistula: ‚Ipse', inquit ‚ut spero, diebus octo quibus has litteras dabam cum Lepidi copiis me coniungam', quae erat summa multarum epistularum. Quid enim? Cum Lepidus eo tempore ad Forum Uoconi[1]) castra haberet — num iter erat plus octo dierum? Num Plancus, qui de celeritate sua agendique studio eo magis gloriari solebat, quo minus earum rerum in eo erat, nimium temporis spatium ipse definiisset, cum si omnino nullum definiisset, nemo moleste tulisset? Itaque epistula duodeuicesima quo die Plancus ab Isara castra mouit, eo scripta est, qui dies erat a. d. XII. Kal. Iun.

Unius et uicesimae epistulae particulam septimam (ep. 21b.) per se integram epistulam esse neque cum superioribus particulis (1—6.) nisi per errorem in codice Mediceo coniunctam — id quod in epistulis transcribendis saepissime factum est — de Gruber in l. s. pag. 35. media demonstrauit. Ipse uero in eo errat[2]), quod eam epistulam ante ep. 827. (duodeuicesima huius libri est) et in tabula sua ponit et a Planco datam esse dicit, cum epistulam 21b. ante septimam decimam missam esse ex ep. 17. § 2.[3]) intellegatur; undecimam ep. et quintam decimam priores esse recte statuit. Sed accuratius, nisi fallor, inuestigare possumus quo die epistula 21b. data sit. Ciceronem enim adparet L. Plancum per nuntium[4]) siue legatum siue seruum admonuisse, ut cum

1) Ep. 17. § 1.: ‚qui locus a Foro Iuli quattuor et uiginti milia passuum abest' — Planci uerba sunt.

2) Item errauit in tractanda epistula ad Att. IIII. 15., quam ex partic. 8. intellegimus pridie eius diei scriptam esse, qui erat a. d. V. Kal. Sept. Eum diem de Gruber l. s. pag. 8. a. d. IIII. Kal. Sept. fuisse dicit, cum fuerit a. d. VI. Kal.

3) ‚Fratrem meum ... grauiter se habuisse antea tibi scripsi'.

4) Cur per litteras Plancum ut fratrem Romam mitteret admonere noluerit Cicero, multas caussas excogitare possumus. Uerebatur enim fortasse, ne quem Romae laederet cum rem publicam tali ciue praetore indigere scriberet. Quod ut statuamus cum quae Plancus in 17. ep. § 2. respondit faciunt (‚Quod si qui uestrum non probabit, mihi prudentiam in consilio defuisse sciat, non illi erga patriam fidelitatem'), tum ea quae eodem fere tempore D. Brutus ad Ciceronem scripsit in l. XI. ep. 10. (‚Quae' — rem publicam dicit — ‚quanto sit in periculo ... exponam. Primum omnium quantam perturbationem rerum urbanarum adferat obitus consulum quantamque cupiditatem hominum iniciat uacuitas non te fugit. Satis me multa scripsisse, quae litteris commendari possint, arbitror; scio

consulum alter in ipso proelio Mutinensi cecidisset, alter uolnere accepto postero die mortuus esset, Cn. Plancum fratrem, qui Luci Munati legatus erat, Romam redire iuberet, ubi praetor urbanus adesse debebat[1]). Quod ut fieret patet M. Tullium nullo temporis spatio interiecto postulauisse simul atque de interitu consulum audierit; quam rem a. d. III. Non. Maias, quo die quartam decimam misit epistulam, nondum cognouerat, ut supra demonstrauimus, potuit tamen fieri, ut eo ipso die, post quam dedit epistulam, nuntius ille acerbus Romam ueniret, Ciceronis mandatum ad L. Plancum quarto decimo die perferretur, id est a. d. XIIII. Kal. Iun. Ut uero Plancum eodem die confestim rescripsisse statuamus, ipsarum rerum necessitas atque grauitas facit. Itaque unius et uicesimae epistulae particulam septimam (quae est apud Gruberum ep. 21b.) a. d. XIIII. Kal. Iun. missam esse puto, cum neque ante hunc diem data esse possit, neque post eum: alterum propter eas quas modo exposui temporis rationes fieri non potuit, alterum propterea quod Plancus quo tempore hanc posteriorem ut ita dicam unam et uicesimam epistulam scripsit neque septimam decimam iam miserat neque cognouerat Antonium Idibus Maiis ad Forum Iuli uenisse. Qua de re eum ne a. d. XIIII. Kal. quidem certiorem factum esse post quam perferendam dedit illam epistulam 21b. nequaquam ueri simile est.

Iam licet uidere de epistula septima decima. Hanc de Gruber l. s. datam esse scripsit ‚(post) Id. M.', quibus uerbis nisi fallor significare uoluit non satis constare utrum ipsis Idibus Maiis epistula missa esset, an post Idus. Quod uereor ne temere fecerit ea re in errorem inductus, quod hic unus dies — Idus dico — in epistula commemoratur. Neque enim ipsis Idibus scripta esse potest, cum Plancus primis uerbis narret Antonium Idibus Maiis ad Forum Iuli uenisse. Quid? Num Forum Iuli maritimum oppidum prope Planci castra ad Isaram[2]) flumen erat? De Antoni aduentu Plancus, si temporis tantum et locorum spatia metimur, potuit certior fieri uel a. d. XV. Kal. Iun. uel postero die, re uera certior est factus a. d. XIIII. Kal., ut supra in tractanda ep. 21b. demonstrauimus. Accedit quod septimam decimam epistulam post illam posteriorem unam et ui-

---

enim cui scribam'). — Praeterea haec caussa esse potuit. Cum a. d. III. Non. Maias quartam decimam ep. ad Plancum dedisset Cicero post quam tristis de consulum interitu nuntius Romam uenit fortasse eum, cui epistulam modo dederat perferendam, Plancum monere iussit, ut fratrem Romam mitteret. Fortasse Cicero Romae alii, qui Planco litteras erat missurus, ut eum adhortaretur mandauit. — Quas caussas qui minus probabit, ipse aliam sibi finget.

1) Ep. 17. § 2.: ‚quod acerbissimo interitu consulum rem publicam nudatam tali ciue praetore in urbanis negotiis indigere existimabam'.

2) Ibi ep. XVII. scriptam esse ex ep. XVIII. § 4. intellegimus.

cesimam missam esse uidimus, ante duodeuicesimam, ut errauerit Schuetzius, qui de ‚exeunte Maio' cogitat. Missa est igitur septima decima epistula a. d. XIII. Kal. Iun., perferenda data Laeuo et Neruae legatis[1]). Iam in ep. 18. part. 2. Plancus narrat post discessum legatorum Lepidum binis continuis litteris se ut ueniret rogauisse, ipsum non dubitandum putasse quin succurreret. Quo consilio pluribus uerbis explicato — ut solebat de consiliis suis gloriari, cum res non gereret quibus gloriaretur — in § 4.: ‚Itaque . . .' inquit ‚castra moui'. Quod non amplius uno die post legatorum discessum factum esse adparet, ut epistula septima decima, quam illi Romam pertulerunt, ipsa quoque non amplius uno die ante duodeuicesimam scripta sit, id est a. d. XIII. Kal. Iun. Itaque omnia consentiunt[2]).

Undeuicesimam epistulam mense Maio datam esse et Schuetz et de Gruber dicit, nisi quod hic (in l. s. pag. 35.): ‚ex. Mai'. De mense sane et mensis parte constat; sed idonea mihi haec epistula esse uidetur, qua demonstretur epistulas non per se singulas considerandas esse, ut quo quaeque tempore missa sit inuestigetur, sed cum proximis quamque comparandas. Quod si faciemus nullo interpretandi artificio nimioque acumine epistulae diem paullo accuratius definire poterimus. Cicero enim simul atque accepit Planci epistulas undecimam et quintam decimam ad eas rescripsit epistulam undeuicesimam, ut infra demonstrabimus. Eisdem uero illis epistulis respondet uicesima huius libri epistula, ita tamen ut haec posterior sit, illa — undeuicesimam dico — prior. Scripserat enim M. Tullius in ep. 13. § 2. haec: ‚Qui enim M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit', paullo post idem eisdem fere uerbis in extrema ep. 20.: ‚Qui enim Antonium oppresserit, is hoc bellum teterrimum periculosissimumque confecerit'. Iam tertium — cum ea esset summa rerum quam Cicero omnibus uiri-

---

1) Ep. XVIII. § 1.: ‚Quid in animo habuerim cum Laeuus Neruaque discesserunt a me et ex litteris quas eis dedi' (hanc septimam decimam dicit) ‚et ex ipsis cognoscere potuisti'. — Miror profecto Manutium, Graeuium, Corradum, Cortium, Schuetzium ad unum omnes adfirmare hunc Laeuum (18. ep. § 1.) eundem esse atque illum Laeuum Cispium, cuius Plancus in 21. ep. § 3. mentionem facit. In 18. enim ep. et 1. § et 2. Plancus Laeuum legatum cum Nerua Romam profectum esse narrat — qui tandem fieri potuit, ut biduo post, quo die ep. 21. data est, idem Laeuus apud Plancum esset? Si enim legati in castra redissent, Plancus et id factum esse narrasset neque duodeuicesimam epistulam perferendam dedisset. Accedit quod in 3. § ep. 21. Laeuum Cispium dicit eis quae post discessum legatorum accidissent interfuisse. Itaque aut duo habemus Laeuos aut altero utro loco nomen librarii errore deprauatum est.

2) Illud quoque ei quem diximus diei consentit, quod publicae litterae quas Plancus una cum 17. ep. miserat eodem die in senatu recitatae sunt, quo publicae Lepidi litterae (u. ep. 16. § 1.). Quas Lepidi litteras una cum eis ad M. Tullium missis litteris Romam uenisse puto, quae datae sunt a. d. XI. Kal. Iun. ex castris ex Ponte Argenteo (lib. X. ep. 34.).

bus consequi contendit — ad eundem Plancum scribens in ep. 20. § 3.: ‚Mea quidem,' inquit ‚ut ad te saepius scripsi, haec sententia est: qui reliquias huius belli oppresserit, eum totius belli confectorem fore'. Quod si uicesima epistula prior fuisset, posterior undeuicesima, in hac addidisset: — quae nescio an excusantis potius quam admonentis sint — ‚ut ad te saepius scripsi'; neque saepius idem scripsit qui semel scripsit. Itaque ep. undeuicesima ante uicesimam missa est, in qua extrema Cicero ipse diem ascripsit qui est a. d. IIII. Kalendas Iunias. Cum uero Plancus ep. undecimam et quintam decimam — ad quas Ciceronem ep. 19. respondisse non tam demonstraui quam demonstraturum me esse pollicitus sum — a. d. V. Id. Maias miserit, ut a. d. VII. fere Kal. Iun., si quinto decimo die, redderentur Ciceroni, undeuicesimam ep. adparet datam esse aut a. d. VII. aut VI. aut V. Kal. Iun. Iam recordemur illud ‚ut ad te saepius scripsi', quibus ep. 20. uerbis 19. ep. significari uidimus, rationemque habeamus primi eiusdem epistulae capitis, quod hoc est: ‚Ita erant omnia quae istinc adferebantur incerta, ut quid ad te scriberem non occurreret. Modo enim quae uellemus de Lepido, modo contra nuntiabantur. De te tamen fama constans' et q. s. Quibus ex uerbis duas res cognoscimus: et uicesimam epistulam non eundem ad Plancum detulisse qui deferret undeuicesimam, et alteram aliquot diebus post superiorem scriptam esse, quibus diebus uarii illi atque contrarii rumores nuntiique de Lepido adlati e Gallia Romam ueniebant, de Planco fama constans nisi erat, tamen dicitur fuisse. Quae cum ita sint undeuicesimam huius libri epistulam neque a. d. V. Kal. Iun. neque post eum diem scriptam esse, sed a. d. VII. fere Kal. Iun. adfirmare licet. Quo cum die conuenit, nisi fallor, uerbi tempus quo Cicero usus est cum scriberet in ep. 19. § 1. haec: ‚Litterae tuae mirabiliter gratae sunt senatui'; unde fortasse conligas undeuicesimam epistulam eidem perferendam esse datam qui Planci ep. 11. et 15. Romam attulisset. Quod factum esse per se ueri simillimum est, argumentum inde ducere noluerim.

Quod undeuicesima epistula aliquot diebus ante uicesimam missa est, ea re confirmantur quae supra de quinta decima huius libri epistula statuimus. Quae si non a. d. V. Idus Maiis data esset, sed uel pridie Idus uel etiam ipsis Idibus, Romam, si quinto decimo die, uenisset a. d. IIII. Kal. Iun., quo die missa est epistula uicesima. Quod si factum esset Cicero compluribus diebus ante quam illas Planci litteras accepisset ad eas rescripsisset.

De epistula duoetuicesima neque Schuetz neque de Gruber recte mihi uidetur statuisse. Quorum illum quid tandem adduxerit, ut eam epistulam mense Maio datam esse putaret, plane non perspicio adsentiorque alteri, qui l. s. pag. 35.:

‚epp. 828., 829. et 835.' inquit (sunt epp. X. 22., XI. 15., X. 26.) ‚aliquanto post erant ponendae' (quam Schuetz posuit), ‚quia Brutum in eis iam cum Planco coniunctum legimus, quod neque Cicero ex. Maio iam sciebat, neque omnino iam factum erat'. An Schuetz putauit Ciceronem cum Planci et Bruti concordia mirifice senatum delectatum esse adfirmaret non coniunctas utriusque copias dixisse, sed laudasse potius quod consules designati idem sentirent atque studerent, eadem erga rem publicam essent uoluntate? Quod si putasset ille errasset. Quae enim Cicero ad Plancum in ep. X. 22. 1. scripsit (‚Concordia uestra, quae senatui declarata litteris uestris est, mirifice et senatus et cuncta ciuitas delectata est'), eadem habemus in epistula ad Brutum missa (XI. 15. 1.) ita scripta, ut nullam dubitationem uerba relinquant; ibi enim: ‚Coniunctio tua' inquit ‚cum collega concordiaque uestra, quae litteris communibus declarata est, S. P. Q. R. gratissima accidit'[1]). Brutus igitur et Plancus iam arma coniunxerant quo tempore eas epistulas Romam miserunt, ad quas rescripsit Cicero epistulas X. 22. et XI. 15. Illi autem ita rem instituerunt, ut et communes litteras darent — id quod fieri solebat — ad consules, praetores, tribunos pl. S. P. Pl. Q. R., et Plancus epistulam ad M. Tullium[2]), cui ut se per litteras excusaret, Brutus collegae mandauerat. Neque ego prorsus negauerim Schuetzium ipsum de Bruti et Planci concordia idem sensisse quod de Gruber sensit. Quid enim quod illam quoque ad Brutum datam epistulam (XI. 15.)[3]) mense Maio scriptam esse dicit, in adnotationibus Manuti uerba ponit haec: ‚Iam se Plancus Bruto coniunxerat'? Sed siue idem sensit Schuetz siue aliter, mense Maio epistulam missam non esse constat. Neque uero Grubero ut in refutanda illius sententia ita de eis adsentior, quae ipse profert. Conlocauit enim in sua tabula et hanc duoetuicesimam decimi libri epistulam et l. XI. ep. 15. et l. X. ep. 26. post Cassianam (l. XII. ep. 13.), quae Idibus Iuniis data est, ante eas litteras quas Cicero a. d. XIIII. Kal. Quinct. Bruto misit. Plancus uero a. d. VIII. Idus Iun. ex finibus Allobrogum in ep. 23. (§ 3.) ad Ciceronem haec scripserat: ‚ut ... ego me interea cum collega coniungerem, quem triduo cum has dabam litteras exspectabam'. Quod si id factum est, quod Plancus fore sperabat, consules designati a. d. VI. Id. Iun. arma coniunxerunt, Cicero ea de re certior factus est circiter a. d. VIIII. Kal. Quinct.; medio igitur mense Iunio

1) Eandem rem atque idem tempus designant quae in Ciceronis ad C. Furnium missa epistula (X. 26. 1.) leguntur haec: ‚Quod de Planci et Bruti concordia scribis' et q. s. Quam epistulam mense Quinctili datam esse ex eis quae secuntur intellegimus (‚Scribis enim, si in Sextilem comitia, cito te'.).

2) Cf. X. 22. 2. Haec epistula ad nostram aetatem non peruenit.

3) Apud Schuetzium epistula est DCCCXXVIIII.; hanc ut diceret esse ep. X. 15. siue typographi q. d. errore factum est siue ipsius neclegentia.

rescribere non potuit, potuit fortasse paucis diebus ante Kalendas Quinctilis. Sed ego M. Tullium omnino non respondisse censeo ante Kalendas. Quid enim? Num constat re uera Plancum et Brutum a. d. VI. Id. Iun. copias suas coniunxisse? Multa sane Planci promissa illius spem fefellerunt. Num illud constat, consules designatos simul atque arma coniunxerint nullo die interposito nuntios Romam misisse? Quod factum non esse statuemus et propter dierum numerum, quos supra uidimus intercessisse a proelio Mutinensi ad eum diem quo Cicero de illo proelio certior factus est, et propter summam illam quam Cicero in ep. XI. 15. commemorat Bruti occupationem et propter concordiam Planci et Bruti, quam eodem loco praeter coniunctionem laudat, quae aliud idque non minus amplum temporis spatium significare uidetur. Neque aliis temporibus aut illos aut alios eadem celeritate ad senatum quae gessissent rettulisse uidemus, qua hodie uti solent. Denique ipsa uicesima secunda decimi libri epistula facit, ut suspicemur Ciceronem non statim ad Planci epistulam rescripsisse. Quae cum ita sint Planci epistulam quam nos non habemus circiter Idus Iun., Ciceronis et has ad Plancum datas litteras (X. 22.) et simul cum eis illas ad D. Brutum missas (XI. 15.) ineunte mense Quinctili scriptas esse statuemus. Quo cum tempore ea res conuenit, quod uicesima quarta epistula a. d. V. Kal. Sext. data est, quibus litteris Plancus et ad duoetuicesimam Ciceronis et ad Cn. Planci fratris epistulam, quae in ea commemoratur, uidetur rescripsisse. Hoc ut putemus et quae in ep. 24. § 2. leguntur faciunt (‚De militum commodis fuit tibi curae') et quae secuntur.

Quattuor epistulas silentio praeterii: octauam, septimam, sextam decimam, unius et uicesimae partem priorem (partic. 1.—6.); quibus de epistulis quae de Gruber statuit probo nisi quod sextam decimam maluerim dicere paullo post Nonas Iunias datam esse quam ‚circiter Nonis Iun.' Respondet enim (id quod infra demonstrabimus) ea epistula Planci duodeuicesimae, quam supra uidimus a. d. XII. Kal. Iun. datam esse, ut ante Nonas Iunias Romam uenire non potuerit. Iam Laeuus et Nerua legati Romam missi et Ciceroni septimam decimam epistulam attulerunt (ep. 18. § 1.), et consulibus eas litteras, quas Cicero in 16. ep. § 1. frequenti senatu Cornuto redditas esse dicit. Factum est ex his litteris senatus consultum (cf. l. s.), quod eosdem illos legatos ad Plancum rettulisse ueri simillimum est, ne pro certo dicam. Cum uero Plancus duodeuicesimam epistulam postridie eius diei miserit, quo die septimam decimam dedisset, quo tempore eae litterae Ciceroni sunt redditae, legatos etiam tum Romae fuisse cum res ipsa facit ut putemus, tum ea re probatur, quod Cicero rescripsit ad duodeuicesimam epistu-

lam, ad septimam decimam non rescripsit. Itaque eum sextam decimam huius libri epistulam paullo post Nonas Iunias legatis perferendam dedisse statuemus. Addere licet, nisi fallor, a. d. VIII. fere Id. Iun., et quod legati facto senatus consulto, quod ad Plancum referrent, non plus duo dies Romae commorati esse uidentur, et quod ep. 21., si quinto decimo die, a. d. VII. Id. Iun. Ciceroni reddita est, quam ep. eum nondum habuisse quo die 16. ep. scriberet infra demonstrabimus.

Iam has uiginti sex Ciceronis et Planci epistulas, quo facilius cognosci possit, quo quaeque tempore data sit, in uno conspectu componam hoc indice:

libri X. ep.	1.	scripta est	circiter Kalendas Oct. anni DCCX.
- - -	2.	- -	circiter Nonas Oct. (post Kalendas certe, ante quam a. d. VII. Id. Oct.).
- - -	3.	- -	circiter a. d. IIII. Id. Dec. (ante Idus certe, post quam a. d. V. Id. Dec.).
- - -	4.	- -	extremo mense Decembri.
- - -	5.	- -	anni DCCXI. mense, ut puto, Februario (ante certe quam a. d. XIII. Kal. Apr.).
- - -	6.	- -	a. d. XIII. Kal. Apriles.
- - -	7. 8.	simul missae sunt mense Martio exeunte, 8. ante 7. scripta est.	
- - -	9.	scripta est	a. d. VI. Kal. Maias (fortasse a. d. V. Kal. Maias).
- - -	10.	- -	a. d. III. Kal. Apriles.
- - -	11.	- -	post Kalendas, ante Nonas Maias.
- - -	12.	- -	a. d. III. Idus Apriles.
- - -	13.	- -	Idibus Maiis aut paullo post.
- - -	14.	- -	a. d. III. Nonas Maias.
- - -	15.	- -	a. d. V. Idus Maias.
- - -	16.	- -	paullo post Nonas Iunias, circiter a. d. VIII. Id.
- - -	17.	- -	a. d. XIII. Kal. Iun.
- - -	18.	- -	a. d. XII. Kal. Iun.
- - -	19.	- -	circiter a. d. VII. Kal. Iun. (ante certe quam a. d. V. Kal. Iun.).
- - -	20.	- -	a. d. IIII. Kal. Iun.
- - -	21.	- -	a. d. X. Kal. Iun.
- - -	21 b.	- -	a. d. XIIII. Kal. Iun.
- - -	22.	- -	ineunte mense Quinctili.
- - -	23.	- -	a. d. VIII. Id. Iun.
- - -	24.	- -	a. d. V. Kal. Sext.
amissa Planci ep.		- -	circiter Idus Iun.

Altera quaestionis particula et ad quam L. Munati epistulam Tulliana quaeque rescripta sit uideamus, et quibusnam Ciceronis litteris Plancus responderit suis. Quod si quaeremus et quod supra nos facturos esse polliciti sumus, id faciemus, cum aliquotiens ab ea re profecti quo tempore missae essent epistulae statuerimus, et in eum ordinem has epistulas redigere poterimus, ut Tullianae menses diesque quibus datae sint sequantur, Plancianae non post eas Ciceronis litteras quaeque inserantur, post quas scriptae sint, sed conlocentur ante eorum dierum epistulas, ante quos dies M. Tullio sint redditae. Quo facto quid utilitatis adferretur in Fleckeiseni annal. philol. a. 1864. pag. 61. exposuimus, ubi de Ciceronis et M. Caeli Rufi epistulis scripsimus eodem consilio. Neque uero ut eodem consilio ita ordine eodem has Ciceronis et Planci epistulas tractabimus, neque eundem quem antea habebimus ducem, Gruberum dico; nunc ipsum codicem Mediceum Orelliumque sequi praestabit. Non quo Gruberus has mutuas epistularum rationes plane neclexerit — id quod ne potuit quidem fieri — sed neque saepius eas respexit, quam qui Ciceronis epistulas ediderunt aut interpretati sunt, neque totiens quotiens usui est. Ubicumque uero eius rei rationem habuit, recte habuit, id quod aliis non item contigit. Audiamus Rudolfum Dietsch. Qui in explicandis Ciceronis epistulis [1]): ‚Quorum officiorum' inquit ‚praemium accepit amplissimum' (Plancum dicit) ‚cum Caesar decreuisset, ut a. 44. Galliae ulteriori praeter Narbonensem et Belgicum praeficeretur et a. 42. cum D. Iunio Bruto consul fieret. Sed cum interea Caesar interfectus esset, Plancus a Cicerone petiit, ut in senatu auctoritate sua adniteretur, ne Caesaris acta subuerterentur, quo facto ipse prouinciam amissurus fuisset, ad quam postulationem ille respondit ep. II. 37. et I. 41.' Ergo has epistulas (decimi libri sunt prima et altera) de prouincia et consulatu scriptas putat! Ubi tandem eius generis sententiae de prouincia, ubi de consulatu? Adfirmat quidem Cicero et in his duabus epistulis et in aliis multam spem suam positam esse in illius exercitibus et consulatu seque sperare addit Plancum consulatum aliquanto ante quam e lege Iulia initurum esse, Plancus se in utroque magistratu gerendo et Ciceroni et rei publicae satis facturum esse iterum atque iterum promittit — dubitatio neque de prouincia est ulla neque de consulatu. Ut uero dubitauerint, ut Plancus Ciceronis auxilium inplorauerit, ut eo tempore in senatu de lege Iulia egerint, quis tandem cum Dietschio Ciceronem putet in hunc modum ad consulem designatum de eis rebus scripsisse? Quod num omnino quisquam facturus fuerit dubito, Ciceronem non fecisse, nisi omnia me fallunt, pro

---

1) Ciceronis ep. sel. Teubn. 1855. pars 1. pag. 126. med.

certo adfirmare licet. Qui cum illius animum quocumque posset modo deuincire studeret, hanc laudandorum officiorum suorum occasionem profecto non praetermisisset. At prima alterius epistulae uerba haec sunt: ‚Meum studium honori tuo pro necessitudine nostra non defuisset, si aut tuto in senatum aut honeste uenire potuissem'. Nonne haec senatum de Planci honore egisse docent? Egit sane de illius honore. Sed is honos qui fuerit, ex altera breuissimae epistulae parte intellegimus, ubi Cicero: ‚ne in publicis quidem' inquit ‚(rebus), si quid erit, in quo me interesse necesse sit, umquam deero, ne cum periculo quidem meo, dignitati tuae. In eis autem rebus, quae nihilo minus, ut ego absim, confici poterunt, peto a te, ut me rationem habere uelis et salutis et dignitatis meae'. Num haec de prouincia, num de consulatu, quae res grauissimae non solum Planco esse uidebantur, sed erant? Adparet honorem, quem homo honorum adpetentissimus a senatu petierat, non magnum fuisse, quod Schuetz iam ante Dietschium animum aduerterat. Ad eas litteras, quas Plancus ad consules miserat, Cicero quo decebat modo respondit. Quid uero de prima epistula statuemus? Hanc Ciceronem supra uidimus misisse cum ex itinere Achaico Romam redisset, ut ante eam epistulam per longius temporis spatium nullam [1]) ad Plancum dedisse uideatur. Neque id operam dabat, ut eum certiorem faceret de eis quae Romae agerentur, monebat eum atque hortabatur cum hac prima epistula tum omnibus quas illo tempore mittebat, ut in rem publicam omni cogitatione curaque incumberet, quibus uerbis (alterius epist. particulae sunt) bellum significabat contra Antonium gerendum. Itaque ante has duas epistulas Tullianas Plancus ad Ciceronem dederat nullam [2]).

Item tertia huius libri epistula non ad ullas litteras Planci rescripta est, sed Furnium legatum Romam miserat cum mandatis; cui Cicero de illius et uoluntate et consiliis certior factus suam ad Plancum epistulam dedit perferendam. Quod cum ita esset et M. Tullius in 3. ep. § 1.: ‚Furnium . . .' inquit ‚audiens te uidebar audire. Nam et . . . mihi . . . exposuit et . . . adiunxit', et ipse Plancus in sua epistula haec rescripsit (4. § 1.): ‚Gratissimae mihi tuae litterae fuerunt, quas ex Furni sermone te scripsisse animaduerti'.

Quartam enim epistulam Plancum ad tertiam Ciceronis rescripsisse

1) Epistula lib. XIII. 29. eidem Planco missa ad hanc rem nihil pertinet, quippe quae data sit biennio ante.

2) Quae in part. 4. leguntur, ea scripta uidentur ex epistula Furni; illud: ‚teque hoc existimare uolo' et q. s. in multis commendaticiis epistulis habemus, ut Ciceronem putem Furnium non antea Planco commendasse, sed commendare hac ipsa epistula X. 1.

supra demonstrauimus, ubi quo utraque tempore data esset conati sumus inuestigare. Ut autem quarta Planci epistula tertiae Ciceronis respondet, ita

quartae illi Plancianae Tulliana quinta. Quarum illa bipartita est: altera epist. parte Plancus quam uoluntatem erga Ciceronem habeat demonstrat, altera consilia sua exponit. Itaque Cicero in ea quam rescripsit epistula (§ 1.): ‚Ex quibus' (litteris tuis) inquit ‚cepi fructum duplicem mihique in comparatione difficilem ad iudicandum, amoremne erga me tuum, an animum in rem publicam pluris aestimandum putarem'. Iam alterius partis apud Plancum haec sunt (in § 1.): ‚Habeo caussas plurimas uel paternae necessitudinis uel meae a pueritia obseruantiae uel tui erga me mutui amoris', apud Ciceronem haec (item in § 1.): ‚Itaque commemoratio tua paternae necessitudinis beneuolentiaeque eius quam erga me a pueritia contulisses ceterarumque rerum quae ad eam sententiam pertinebant incredibilem mihi laetitiam attulerunt'. Ubi quod in Planci uerbis iterandis obseruantiam eius dicit beneuolentiam, hoc non mirabimur, cum obseruantiam profiteri eius sit qui declaret uoluntatem, laudare beneuolentiam eius in quem illa uoluntas conferatur. Alterius autem partis apud M. Tullium haec habemus (in § 2.): ‚Rursus declaratio animi tui, quem haberes de re publica quemque habiturus esses, mihi erat iucundissima', apud L. Munatium in § 3. haec: ‚Quare hoc unum tibi persuade, quantum uiribus eniti, consilio prouidere, auctoritate monere potuero, hoc omne rei publicae semper futurum'; quod se facturum esse in extrema epistula sua iterum pollicetur uerbis usus aliis his: ‚Quod si proinde ut ipse mereor mihi successerit, certe et tibi, cui maxime cupio, et omnibus uiris bonis satis faciam'. Praeterea quae Cicero in § 3. scripsit: ‚Adhuc ... fortuna suffragante uideris res maximas consecutus', his Planci uerbis respondent (§ 2.): ‚Quaecumque in me bona sunt aut fortunae beneficio tributa' et q. s. Cum uero harum quinque epistularum ea esset ratio, ut M. Tullius prior mitteret et primam et alteram et tertiam, tum demum rescriberet Plancus eam quae decimi libri quarta est, post hanc daretur quinta[1]) Tulliana, fieri potuit, ut Cicero quartam epistulam, quam Plancum ad tertiam rescripsisse modo uidimus, suae primae respondere diceret. Quae enim in ep. 5. § 2. leguntur: ‚Itaque te non hortor solum, mi Plance, sed plane etiam oro, quod feci eis litteris, quibus tu humanissime respondisti, ut tota mente omnique animi impetu in rem publicam incumbas', ea non ad 3. ep. § 3. spectare puto (ubi est: ‚Incumbe ... in eam

1) Ne aut obscurus sim aut multus, epistulis non eum numerum adponam, quo quota eiusdem sit (aut Ciceronis aut Planci) significetur, sed eos numeros, quos apud Orellium aliosque habemus.

curam et cogitationem, quae tibi summam dignitatem et gloriam adferat') sed potius ad 1. ep. § 2. uerba haec: ,Illud autem erat amoris mei ... monere te atque hortari, ut in rem publicam omni cogitatione' (idem est quod ,tota mente') ,curaque' (uu. ,omni cura' respondent uu. ,omni animi impetu') ,incumberes'. Quam ipsam ob caussam Plancus se ad priores duas epistulas non respondisse fatetur in ep. 4. § 1. (,Ego autem praeteriti temporis excusationem adfero, quod' et q. s.). Quod uero Dietsch. rebus iterum prorsus permixtis quintam epistulam septimae respondere dicit, ipsam septimam ad tertiam rescriptam esse uidetur [1]) saltem putare, hoc non est cur pluribus uerbis refutem, cum supra uiderimus septimam epistulam non post tertiam ante quintam datam esse, sed post ipsam quintam ante duodecimam. De qua septima habeo quod addam; ut uero institutum nostrum teneamus eumque ordinem qui in codice Mediceo est in tractandis epistulis sequamur, antea illud ostendamus,

sextam epistulam eidem Furnio legato ut perferretur datam esse, cui antea Cicero tertiam dederat. Plancus enim legatum mense Martio iterum Romam miserat et cum litteris ad consules et cum mandatis; quibus mandatis plus ponderis attulit cum paullo post ad eosdem consules scriberet haec (in ep. 8. § 5.): ,C. Furnio legato ... plura etiam uerbo quam scriptura mandata dedimus'. Cicero igitur, cum ipsi Plancus nullas misisset litteras [2]) cumque in eo esset, ut C. Furnius ad illum rediret (§ 1. extr.), ut ex ipso legato quae Romae agerentur posset cognoscere, data facultate id unum egit, ut iterum eum moneret atque adhortaretur (§ 2.). Qua re factum est, ut neque sexta epistula ulli Plancianae responderet, neque Planciana ulla sextae Ciceronis.

Iam ad septimam epistulam redeamus, quam M. Uarisidium equitem Romanum Planco familiarem una cum litteris ad consules scriptis — octaua [3]) huius libri epistula est — Romam pertulisse in 1. partic. legimus. At tantum abest ut Dietsch iure statuerit septimam epistulam tertiae respondere, septimae quintam, ut septimam Plancus ad quintam rescripsisse uideatur. Quae enim in § 2. habemus: ,ut dignum aliquid et consulatu meo et uestra expectatione efficerem',

1) In epist. sel. part. 1. pag. 126.: ,Cum M. Antonius' inquit ,bellum ciuile mouisset, Cicero nihil studiosius egit, quam ut Plancum ad fidem atque ... excitaret (quo consilio scripta est ep. X. 3.) et consecutus est hoc, ut ille se ei obsecuturum polliceretur (X. 7.), ad quod Cic. respondit ep. X. 5'. Orellianos epist. numeros scripsi pro Dietschianis.

2) Quod cum ita fuerit prima epistulae uerba haec sunt: ,Quae locutus est Furnius noster' et q. s.

3) Has duas epistulas, octauam dico et septimam, Plancus prius scripsit quam acciperet sextam Ciceronis. Uarisidius enim a. d. VIII. aut VII. Idus Apr. Romam uenit (cf. ep. 12. § 2.), a Planco eodem fere die decessit, quo Furnius, qui sextam ep. pertulit, Roma. Quod cum ita esset fieri potuit, ut Pl. in ep. 8. § 5. haec scriberet: ,Furnio ... mandata dedimus'.

haec respondent 5. ep. part. 3., ubi Cicero: ‚magna spes' inquit ‚in te' (est) ‚et in tuo exercitu, magna expectatio'; quae in eadem partic. apud Plancum leguntur: ‚quarum rerum spe ad laudem me uocasti, harum fructu in relicuum facias alacriorem', ea Ciceronis uerba in memoriam nobis reducunt, quae sunt in § 2.: ‚Nihil est, quod tibi maiori fructui gloriaeque esse possit'. Quod si Plancus et eis quae in ep. 7. § 2. sunt (‚usque mihi temperaui dum perducerem eo rem, ut dignum aliquid et consulatu meo et uestra expectatione efficerem') et primis quinque octauae epistulae particulis id efficere studuit, ut inconstantiam tarditatemque suam prudentiam putarent et diligentiam, ego uereor ne illud ut scriberet Ciceronis uerbis adductus sit his (ep. 5. § 3. extr.): ‚Cuius per deos gratiae gloriaeque caue tempus amittas'.

Nonam epistulam Plancus totam ad decimam rescripsit, ut ostenderet se honores non tanti facere, quanti Ciceroni facere uideretur, qui suis litteris eum et nimis magnos honores expectare significauerat et ante tempus. Itaque cum ille qui uere honores appellandi essent explicauerit (in utraque ep. particula) futurisque praemiis promissis eum in aliud tempus distulerit, ipse in § 2. nihil fatetur aut sero aut exigue a patria ciui tributum posse uideri. Iam de singulis sententiis uideamus. Respondent L. Munati uerba (in § 3.): ‚et temporis et rei te moderatorem facile patior esse' his Ciceronis (in § 1.): ‚Cuius rei (honores dicit) ‚non modo non praeteriit tempus, sed ne maturum quidem etiam nunc meo quidem iudicio fuit'; item illa Planciana (in § 2.): ‚sic honores praemiaque uestra suspicio . . ., ut sine his nihil de meo studio perseuerantiaque sim remissurus' Tullianis his (in § 2.): ‚honos non inuitamentum ad tempus, sed perpetuae uirtutis est praemium'. Quod Plancus in § 2.: ‚Nisi in multitudine' inquit ‚optimorum ciuium inpetus animi mei fuerit singularis et opera praecipua' et q. s., haec ut scriberet ep. 10. part. 1. extr. eum uidetur adduxisse, ubi Cicero honorem propter magna merita claris uiris deferri dixerat; item ut adderet quae secuntur: ‚nihil ad meam dignitatem accedere uolo suffragatione uestra' altera Tullianae epist. particula effecit, ubi haec habemus: ‚omnibus, mihi crede, amplissimis honoribus abundabis'. Quibus nescio an hi duo loci adiciendi sint: ep. 9. § 1.: ‚Certe hoc maius habes testimonium amoris mei, quo maturius tibi quam ceteris consilia mea uolui esse nota', et ep. 10. § 2.: ‚Me tuorum consiliorum adiutorem . . . omnibus in rebus tibi amicissimum . . . cognosces'. — Quas duas epistulas si attento animo contemplabimur, quo iure homo honorum adpetentissimus se nihil sibi concupiscere adfirmauerit (§ 3.) perspiciemus. Quas tandem res gesserat, propter quas ut praemiis honoribusque ornaretur peteret? Num D. Bruto auxilium tulerat? Num uolunta-

tem saltem suam traiectis Alpibus declarauerat? Prorsus nihil egerat. Quod igitur Cicero (in § 1.): ‚Itaque' inquit ‚si consulem Romae habuissemus, declaratum esset ab senatu cum tuis magnis honoribus, quam gratus esset conatus et adparatus tuus', quod ibidem: ‚Is enim denique honos mihi uideri solet, qui non propter spem futuri beneficii sed propter magna merita claris uiris defertur et datur', quod ubique consilia Planci commemorat, res gestas nusquam — his egregia quamuis paullo tectiore dicacitate eum inridet. An quid illum animo sensisse putes, cum legeret quae in 1. part. sunt haec: ‚Quam ob rem, quamquam in uno proelio omnis fortuna rei publicae disceptat — quod quidem, cum haec legeres, iam decretum arbitrabar fore — tamen ipsa fama, quae de tua uoluntate percrebruit, magnam es laudem consecutus'? Quamquam ut illum nihil omnino sensisse iudicemus et ea faciunt, quae in § 1. respondit: ‚In dies uero meritorum meorum fieri accessiones peruidere te spero; cogniturum magis recipio', et quae ante ut Ciceronis beneuolentiam caperet scripsit, et summa illa honorum praemiorumque cupiditas quam hac ipsa epistula ostendit. Namque et in § 2. ea cum inmortalitate conferenda esse profitetur, et in § 3., ubi facile pati se dicit Ciceronem et temporis et rei moderatorem esse, ne forte ille se in praesentia honores omnino nolle putet, continuo id addit, nihil aut sero aut exigue a patria ciui tributum posse uideri. Quae uero sunt illae quas praedicat in dies fieri meritorum accessiones [1]? Exercitum a. d. VI. Kal. Maias Rhodanum traiecerat, magnis itineribus; Uienna equites mille [2]) uia breuiore praemiserat. Quid quod etiam usque ad Isaram flumen exercitum duxit? — Hanc nonam epistulam qui legerit, is neque incredibile gaudium mirabitur, quo Plancus exultauit (ep. 11.), neque ambigua Ciceronis uerba, quibus de ea epistula iudicium fecit (in ep. 13. § 2.).

Manutius ut explicet cur Cicero in altera decimae epistulae particula honorem dixerit non inuitamentum ad tempus sed perpetuae uirtutis praemium esse: ‚Hoc dicit' inquit ‚quia uoluntatem quidem Plancus transiecto Rhodano ostenderat, nihil tamen adhuc re ipsa praestiterat' et q. s. Quibus Manuti uerbis temere fidem habuerunt qui ea in suis adnotationibus posuerunt Kortte et Schuetz. Qui

1) Haec Planci uerba (ep. 9. § 1.) ad Tullianae epistulae extremam partic. 1. respondere adparet.

2) Cum Plancus in ep. 11. § 2., ubi eandem rem narrat, se tria milia equitum misisse dicat, in hac quoque nona ep. mihi scribendum esse uidetur: ‚Uienna equitum tria milia u. br. praemisi'. Illud III. quidem ut ante milium uoc. potuit intercidere, ita in altera ep. post u. ‚cum' per errorem addi; sed facilius fieri potuit, ut in nona ep. ‚equites mille' scriberetur pro eo quod debebat scribi ‚equitum milia', quam ut in altera poneretur ‚milibus equitum' pro uu. ‚mille equitibus'. Accedit quod Plancus postea (ep. 15. § 3.) aduersus L. Antonium quattuor milia equitum misit, quamuis cum primis copiis uenisset.

enim Cicero a. d. III. Kal. Apr. de honore agere potuit Planco ob eam rem tribuendo, quam gessit mense fere post? Rhodanum enim se a. d. VI. Kal. Maias traiecisse in ep. 9. § 3. narrat. Quod si factum esset quod Manutius factum esse putauit, decimam epistulam Cicero ad nonam rescripsisset, nos nonam potius decimae respondere uidimus, ut uerear ne Manutium is qui in codice Mediceo est epistularum ordo in errorem induxerit. Quid uero quod omnibus qui epistulas ediderunt idem accidisse uidetur? Cum enim prima Ciceronis uerba haec sint: ‚Etsi satis ex Furnio nostro cognoram, quae tua uoluntas, quod consilium de re publica esset, tamen tuis litteris lectis liquidius de toto sensu tuo iudicaui', Suepfle, qui unus in interpretandis epistulis eam rem tetigit, has Planci litteras non publicas illas esse dicit (octauam huius libri ep. dico), sed epistulam commemorari, quae ad nostram aetatem non peruenerit, quam una cum septima et octaua ad M. Tullium missam esse suspicatur. Quis uero Plancum credat eodem die non solum et publicas litteras et epistulam ad Ciceronem dedisse, sed etiam alteram ad eundem Ciceronem, cum dimidia fere epistulae septimae pars haec sit: ‚Plurima tibi de meis consiliis scriberem rationemque omnium rerum redderem uerbosius . . . sed breuiorem me duae res faciunt: una quod publicis litteris omnia sum persecutus, altera quod M. Uarisidium . . . ipsum ad te transire iussi, ex quo omnia cognoscere posses'. Quid quod Cicero septimam illam ep. a. d. VII. Idus Apriles accepit, scripsit decimam a. d. III. Kal. Apriles? Neque haec decima epistula ad easdem Planci publicas litteras respondet, ad quas Cicero sextam rescripsit. Nam praeterquam quod rescripserat decem diebus ante M. Tullius quae erant rescribenda — qui fieri potuit, ut uituperaret Plancum, quod pacis cum Antonio faciendae auctor fuisset (in ep. 6. § 1.), ad eandem rescribens epistulam laudaret uoluntatem eius et conatum (quae laudantur in ep. 10. § 1.)? Qui easdem litteras gratas senatui fuisse dicere esset conatus (ep. 10.), quas non sine offensione acceperat, ut ipse Plancum ea de re certiorem facere noluisset (ep. 6. § 1.)? Denique quod Cicero: ‚Itaque' inquit ‚si consulem Romae habuissemus, declaratum esset . . .' ex ea re illas, quas primis uerbis commemorat, Planci litteras cognoscimus Romam uenisse quo tempore Pansa consul iam Hirtium ut Bruto auxilium ferret secutus erat, i. e. aut a. d. XIIII. Kal. Apr. aut post eum diem. Iam uideamus quaenam fuerint illae Planci litterae hodie amissae, cum quae non fuissent uiderimus. Quas non ad ipsum Ciceronem datas fuisse, sed publice missas ex ea re cognoscimus, quod senatus de eis litteris quid sentiret declarasset, si consul adfuisset. Cicero igitur cum sextam epistulam scriberet per Furnium legatum de Planci uoluntate atque consiliis certior factus erat; quae ille nuntia-

uerat, ea iam lectis his publicis litteris erant magis in aperto. Plancum enim patet scripsisse se iam bellum contra Antonium parare, cum Cicero laudet conatus eius et adparatus. Qui cum non consilia atque promissa posceret, sed res gestas — id quod supra pluribus uerbis demonstrauimus — honorem rescripsit non inuitamentum ad tempus esse, sed perpetuae uirtutis praemium. Neque mirabimur Ciceronem ad publicas Planci [1]) litteras data occasione rescripsisse, cum idem saepius factum esse et supra uiderimus in ea quaestione quae erat de epistulis 2. et 6. et infra simus uisuri. Quid quod ad eundem Ciceronem D. Brutus in ep. 19. libri XI. haec scripsit: ‚Ad senatum quas litteras misi, uelim prius perlegas et si qua tibi uidebuntur, commutes'? Item in lib. X. ep. 12. § 2. T. Munatium, qui L. Munati cons. des. erat cognatus, Ciceroni legimus eas litteras, quas ille publice miserat, legendas dedisse ante quam in senatu recitarentur (id quod ex eis quae secuntur intellegimus).

Undecimam Planci epistulam iure de Gruber duodecimae Ciceronis respondere dicit. Cuius in altera quidem et tertia parte Plancus quas res ipse uel gesserit uel statuerit gerere exponit adiectis in § 3. promissis, primam partic. totam ad illas Tullianas litteras rescribit gratias quam maximas agens Ciceroni, qui sententiis dictis habitaque oratione effecerat, ut senatus illius consilia comprobaret. Primae enim Ciceronis sententiae, quarum Plancus mentionem facit, eae sunt quas in senatu dixerat a. d. VI. Id. Apr., quibus frequenter adsensus est senatus, rogatu Seruili P. Titius intercessit; quas autem appellat posteriores, posteri diei sunt, quas paullo minus honorificas fuisse ex utriusque litteris intellegimus. Deinde cum Cicero scripserit (in §§ 3. et 4.) et a. d. VI. Id. Apr. magnam sibi pro Planci dignitate contentionem cum Seruilio fuisse et postridie eius diei se eundem Seruilium fregisse maximaque contentione Titium intercessorem abiecisse, ille ut significet quae eius laudauerit tanta officia, haec addit uerba: ‚oratio adsidua et perpetua de me, iurgia cum obtrectatoribus propter me'. Quod autem Ciceronis sententias, orationem, iurgia sibi notissima esse adfirmat, factum esse demonstrat, quod ille fieri uoluisset, ut quae a. d. V. Idus Apr. praestitisset officia ex aliorum potius litteris cognosceret. Quae uero in extrema § 1. ep. 11. leguntur (‚si, quem' — me — ‚esse uoluisti, eum exitu rebusque cognoscis') quaeque paullo supra (‚non mediocris adhibenda mihi est cura, ut rei publicae me ciuem dignum tuis laudibus praestem'), haec ut scriberet quinta particula ep. 12. adductus est, qua Cicero Plancum ut solebat hortatus erat, cum aliis uerbis tum

1) Has litteras eis diebus, qui erant ab a. d. XII. ad IIII. Kal. Apr., Romam uenisse ex eis quae supra exposuimus intellegitur.

his: ‚perfice, ut ne minus res publica tibi, quam tu rei publicae debeas', cum paullo ante haec scripsisset: ‚senatus grauior, constantior, amicior tuis laudibus esse non potuit, quam tum fuit' (a. d. V. Id. Apr.); ‚nec uero tibi senatus amicior quam cuncta ciuitas'. — Quid uero quod Plancus ubi inmortales quas dicit gratias Ciceroni agit: ‚nisi forte' inquit ‚ut tu grauissime disertissimeque scripsisti, ita sensurus es, ut me referre gratiam putes cum memoria tenebo'? Ubinam haec in duodecima Ciceronis epistula? Frustra quaerentur. Num igitur Plancus undecimam epistulam non solum ad duodecimam Ciceronis rescripsit, sed simul ad nescio quam aliam? Nullam reperias. Itaque Manutius, qui solus Tullianarum epistularum interpres eam rem tangit, Plancum Ciceronis aliquas litteras quae ad nostram aetatem non peruenerint respicere statuit. Ego uero ne hoc quidem statuendum esse censeo. Si enim Plancus quae scripsit ad amissam aliquam Ciceronis epistulam rescripsisset, M. Tullius in ea epistula se L. Munatium gratum existimaturum esse adfirmasset, si quas res ipse in senatu pro eo gessisset, earum rerum memoriam esset seruaturus. At gratiam hunc in modum exigere num hominis est urbani? Num fuit Ciceronis? Num si suis litteris exegisset in ea quam rescripsit epistula (ep. 19. est) haec respondere potuisset: ‚Quamquam gratiarum actionem a te non desiderabam' et q. s.? Quid quod Plancus inter eum qui gratias ageret et qui referret gratiam tantum interesse scripsit, ut ipse Ciceronis tantis officiis agendo gratias posset respondere, referendo non posset? Ciceronem necesse fuit suis litteris Plancum, ut gratias non solum ageret sed etiam referret, admonuisse. Praeterea nonne de gratia referenda in eadem epistula scripsisset, qua officia sua exposuit? Sed ut scripsisset Cicero in epistula aliqua post duodecimam data, quae eum potuisse scribere nego: quis tandem, nisi homo plane insanus et mente captus, respondisset quae Plancus respondit in hunc modum: ‚Ita te sentire scripsisti, ut me referre gratiam putares, cum officia tua memoria tenerem. Sed ego tantis tuis officiis non uideor mi respondere posse, n i s i f o r t e, ut tu grauissime disertissimeque scripsisti, ita sensurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo'? Itaque cum Plancus ad se ipsum de referenda gratia Ciceronem scripsisse non dicat, Cicero dicat se non scripsisse, illum puto in ep. 11. non de epistula Ciceronis mentionem facere, sed aut de alius libri uerbis aut de his orationis pro Plancio[1]) (c. 28. § 68.): ‚gratiam autem et qui refert habet et qui habet in eo ipso, quod habet, refert... Nec minus ei' (Plancio) ‚redderem' (gratiam) ‚uoluntate ipsa'.

1) Quam orationem se absoluisse Cicero anno u. DCC. ad Quintum fratrem scripsit in lib. 3. ep. 1. c. 4. § 11.

Iam de ipsa duodecima epistula[1]) uideamus. Hanc Cicero se ad eas Planci litteras rescripsisse dicit (in § 2.), quas sibi a. d. VII. Idus Apriles mane M. Uarisidius reddidisset. Quam Planci epistulam decimi libri septimam esse et Uarisidi nomen docet et multi utriusque epistulae loci inter se comparati. Illum enim Plancus ipsum ad Ciceronem transire iusserat (ep. 7. § 1.), Cicero narrat et ad se primum uenisse et id sibi a Planco mandatum esse dixisse. Quas autem utriusque epistulae sententias inter se comparandas significaueram, hae sunt: 12. ep. § 1.: ‚Etsi rei publicae caussa maxime gaudere debeo tantum ei te praesidii . . attulisse' et 7. ep. § 2.: ‚(Quod spero . . . me consecuturum,) ut maximo praesidio rei publicae nos fuisse et nunc sentiant homines et in posterum memoria teneant'; haec postrema Planci uerba et Ciceronis illa (in § 5.): ‚Perge, ut agis, nomenque tuum commenda inmortalitati'; Tullianae ep. § 5.: ‚Me tuae dignitatis non modo fautorem sed etiam amplificatorem cognosces' et Plancianae cum § 1.: ‚nec te magis in culpa defensorem mihi paraui, quam praedicatorem meritorum meorum esse uolui', tum § 2.: ‚A te peto, ut dignitati meae suffrageris'; illius uerba (eiusdem particulae): ‚Id cum rei publicae . . . tum nostrae necessitudini debere me indico' et L. Munati ep. § 2.: ‚non minus a te probari quam diligi semper uolui'; 12. ep. § 5.: ‚atque haec omnia quae habent speciem gloriae . . . contemne' et 7. ep. § 2.: ‚Non medius fidius mediori dolore adficiebar, cum alii occupare possessionem laudis uiderentur'. Pluribus locis, opinor, non opus est, quibus duodecimam epistulam septimae respondere demonstretur. Quid uero quod Plancus eidem M. Uarisidio, qui septimam epistulam ad Ciceronem detulit, litteras dedit ad consules scriptas — octaua decimi libri epistula est — quarum publicarum litterarum ipse mentionem facit in ep. 7. § 1.? Plancus quidem ad quintam Ciceronis epistulam solam septimam rescripsit, cum publicae litterae priuatis respondere nequirent. Quid uero Ciceronem prohibuisse putes suam epistulam et ad priuatam rescribere et simul ad publicam, cum complures eius epistulas publicis Planci litteris solis respondere uiderimus[2])? Immo factum est quod potuisse fieri adparet. Octauam enim dicit epistulam Cicero et in § 2., cum T. Munatium sibi eas litteras legendas dedisse narret, quas publice L. Plancus misisset, et in 1. part., ubi: ‚Caue' inquit ‚putes ullas umquam litteras gratiores quam tuas in senatu esse recitatas'. Quae secuntur uerba: ‚Idque contigit cum meritorum tuorum in rem publicam eximia quadam magnitudine tum uerborum

1) Hanc duodecimam Ciceronis epistulam Plancum nondum habuisse, quo die ipse nonam scripsit, supra uidimus, ubi quo die tertia huius libri epistula data esset demonstrauimus.

2) Ubi de decima huius libri epistula exposuimus.

sententiarumque grauitate', his merita laudat ea, de quibus Plancus in octauae epistulae particulis 3. et 4. praedicauerat, uerborum autem sententiarumque grauitatem in §§ 3., 6., 7. inesse iudicauit, e quibus — ne longus sim — duo tantum locos proferam hos: ‚Ipse ita sum animo paratus uel prouinciam tueri uel ire, quo res publica uocet, uel tradere exercitum auxilia prouinciamque, ut uel omnem inpetum belli in me conuertere non recusem, si modo meo casu aut confirmare patriae salutem aut periculum possim morari' (§ 6. sunt) et § 7.: ‚in damno meae laudis rei publicae commodo laetabor ... Mihi quidem ipsi fructus meritorum meorum in rei publicae incolumitate satis magnus est paratus'. Neque uero magnas solum partes octauae epistulae Cicero paucis uerbis breuiter summatimque est complexus, sed ad eius quoque ep. singulas sententias singulis sententiis respondit, ne dicam ad uerba uerbis. Quae enim in 1. eius part. legimus: ‚senatui maiora uisa sunt' (Planci merita, uerba, sententias dicit) ‚quam erant expectata; non quo umquam de tua uoluntate dubitasset' et in 4.: ‚nec uero tibi senatus amicior quam cuncta ciuitas', haec rescripsit ad 8. ep. § 1., ubi Plancus: ‚Si cui forte' inquit ‚uideor diutius et hominum expectationem et spem rei publicae de mea uoluntate tenuisse suspensam'; quae autem apud illum priore loco secuntur: ‚nec quantum facere posses nec quoad progredi uelles exploratum satis habebat' (senatum dicit), ea cum ad alios §§ 3., 4., 6. locos tum ad hunc sextae: ‚Nunc, cum ... ab omni re sumus paratiores, non solum bene sperare de nobis homines sed explorate iudicare uolumus'. Hi quoque loci sufficere uidentur, plures addi posse non negauerim. Quae uero eae sunt litterae ad M. Tullium missae, quarum promissa se adfirmat meminisse[1]) (in § 1.)? Quartam Planci epistulam dicit, cuius in 3. partic. haec sunt: ‚Quare hoc unum tibi persuade, quantum uiribus eniti, consilio prouidere, auctoritate monere potuero, hoc omne rei publicae semper futurum'. Item Cicero (in eadem particula) se a Furnio Planci consilia penitus cognita habere adfirmat, cuius mentionem fecerat primis uerbis et sextae epistulae et decimae, cuique sextam dederat perferendam. — Quae de duodecima et septima octauaque epistula exposuimus, eis uelim demonstretur in explicandis epistulis accuratissime diligentissimeque earum rationem esse habendam, quibus quaeque respondeat. Quod qui neclegent in errorem et se ipsi inducent et alios; id quod in hac duodecima epistula interpretanda Manutio accidit, alibi aliis.

Tertiam decimam epistulam Ciceronem ad nonam Planci rescripsisse haec alterius particulae uerba docent: ‚Ego quamquam ex tuis litteris, quas mihi

1) Uoc. quod est ‚meminissem' non temere Cicero usus esse uidetur, cum proximam Planci epistulam prope tribus mensibus ante hanc duodecimam accepisset.

misisti, perspexeram te magis iudicio bonorum quam insignibus gloriae delectari' et q. s.; quae M. Tullius scripsit cum aliis Plancianarum litterarum particulis adductus — qua epistula quid de honoribus praemiisque sentiret ostenderat — tum primis earum uerbis his: ,Nihil me tibi temere aut te ceteris de me frustra recepisse laetor', alteriusque particulae eo loco, ubi: ,Sic honores' inquit ,praemiaque uestra suspicio, conferenda certe cum inmortalitate, ut sine his nihil de meo studio perseuerantiaque sim remissurus'. Itaque illud: ,etiamsi tu nihil postulares' (ep. 13. § 2.) respondet his Planci uerbis (§ 3.): ,Concupisco ... nihil mihi', Tullianae epistulae primum caput (,Ut primum potestas data est augendae dignitatis tuae') illius alteri particulae, ubi haec habemus: ,Nisi ... inpetus animi mei fuerit singularis et opera praecipua, nihil ad meam dignitatem accedere uolo suffragatione uestra'. Cum uero Plancus contra quod ipse se pugnare dixerat, tam male pugnasset, ut eum honorum praemiorumque indomita cupiditate flagrare adpareret, M. Tullius, quae eius erat urbanitas, lepide ei haec rescripsit (in 2. part.): ,tamen considerandum nobis existimaui ... quantum tibi a re publica deberetur'. Quod autem de Gruber putat Ciceronem cum scriberet quae sunt in § 2.: ,Tu contexes extrema cum primis' quartam decimam epistulam suam paullo ante datam respexisse, ubi haec scripserat: ,Est autem non minus gratum extrema delere quam prima depellere' — id ipsum Ciceronem egisse neque negauerim neque adfirmauerim; tertiae decimae enim epistulae uerba per se plane intelleguntur.

Quascumque adhuc tractauimus Ciceronis epistulas — excepta ea, quae ut excipiatur res ipsa facit, primam dico — eas Ciceronem aut ad Planci litteras ad se datas rescripsisse uidimus aut ad eiusdem publicas aut scripsisse ex legatorum sermone. Quarum rerum nihil cadit in quartam decimam. Hanc enim cum scriberet et ipse et alii iam expectabant Planci nuntium litterasque, qua de re altera epistulae particula certiores nos facit. Dedit epistulam, cum bona fama de Planci subsidio, studio, celeritate, copiis (§ 1.) percrebresceret, ut primum rumor de altero proelio apud Mutinam facto Romam adlatus est, ut Plancum ad opprimendum Antonium adhortaretur.

Item quinta decima epistula non multum nos morabitur, in qua, cum ipsa simul cum undecima missa sit, undecima accuratissime ei respondeat, quam proxime Plancus acceperat, duodecimam dico — quod utrumque supra demonstrauimus — nihil inesse potest responsi, tota scripta est de eis rebus, quae proximis diebus in Allobrogibus et Gallia prouincia gestae erant. Sequitur igitur

sexta decima epistula. De hac ut recte statuamus, quae supra exposuimus opus est recordari, Plancum a. d. XIIII. Kal. Iun. ad Ciceronem dedisse ep. 21 b.

(unius et uicesimae ep. particula septima est), postridie eius diei 17. una cum publicis litteris, a. d. XII. Kal. Iun. ep. 18. Iam cum publicae illae litterae in senatu recitarentur fieretque ex eis senatus consultum, Laeuus et Nerua legati, quibus id senatus consultum ad Plancum referendum erat (ep. 16. § 1. extr.), etiam tum Romae fuerunt, quo die duodeuicesima epistula Ciceroni est reddita. Quae cum ita essent M. Tullius eisdem illis legatis eam epistulam dedit ad Plancum perferendam, quam non solum ad septimam decimam et publicas litteras simul cum ea missas rescripserat — ad posteriorem unam et uicesimam non erat quod responderet — sed una ad duodeuicesimam, quam modo acceperat. Quae epistula decimi libri sexta decima est. Unam et uicesimam uero epistulam (partic. 1.—6. dico), quam Plancus eodem fere tempore miserat (a. d. X. Kal. Iun.), Ciceronem quo die sextam decimam scriberet nondum habuisse adparet. Si enim habuisset, ad hanc potius rescripsisset, non ad priores solas; neque si Lepidi perfidiam habuisset cognitam, sic iudicasset de eo, ut in ep. 16. iudicauit. Immo ne potuit quidem 21. epistula a. d. VIII. Id. Iun., quo die data est sexta decima, in Ciceronis manibus esse, cum ad eum perueniret si primo quo potuit die a. d. VII. Id. Quod igitur Cicero in sextae decimae epistulae particula prima Planci litteras ipsis rebus et studiis beneficiisque in rem publicam senatui gratissimas fuisse adfirmat, laudat quod id operam dederit, ut et ipsum Lepidum et Lepidi exercitus eam partem, quae bene de re publica sentiret, a furiosa quam dicit parte defenderet; quod se fecisse ille et in 17. ep. scripserat (§ 3.) et in duodeuicesima (§§ 3. et 4.), pluribus uerbis exposuisse uidetur in publicis illis litteris. Quod autem Plancianas litteras uerborum sententiarumque grauitate senatui placuisse dicit, hoc ad publicas litteras solas spectat, nisi eiusdem generis ea putaueris esse, quae in 17. ep. § 1. leguntur haec: ‚Quodsi omnia mihi integra et ipse et fortuna seruarit, recipio uobis celeriter me negotium ex sententia confecturum'. Item quae in 2. part. habemus (‚hoc animo esse debes, ut nihil huc reicias neue in rebus tam subitis tamque angustis a senatu consilium petendum putes. Ipse tibi sis senatus.') propterea scripta sunt, quod Plancus se diu haesitasse dixerat (in ep. 18. §§ 2 et 3.) utrum Brutum ad Isaram expectaret, coniunctis denique copiis adgrederetur Antonium, an statim ad Lepidum proficisceretur; quorum consiliorum alterum cautius esse uidebatur, alterum periculosum quidem erat sed salutare atque perutile. Neque mirabimur Plancum in rebus subitis atque angustis esse dici, si 18. ep. tertiam illam particulam legerimus. Immo (in § 2.) ipse: ‚si . . . a certamine' inquit ‚belli tam necessarii me remouissem'. Praeterea Ciceronis uerba quae sunt in § 2.: ‚quocumque te ratio rei publicae ducet, sequare' L. Munati respondent his

(§ 1.): ‚Accidit mihi, quod homini pudenti et cupido satis faciendi rei publicae bonisque omnibus accidere solet', postrema Tulliana illa: ‚Illud tibi promitto, quidquid erit a te factum, id senatum non modo ut fideliter, sed etiam ut sapienter factum comprobaturum' his Plancianis (ep. 18. § 1.): ‚Accidit mihi, ... ut consilium sequerer periculosum magis, dum me probarem, quam tutum, quod habere posset obtrectationem', simul autem eis fortasse, quae in ep. 17. § 2. sunt: ‚Quod si qui uestrum non probabit, mihi prudentiam in consilio defuisse sciat' et q. s. . .

Praestat hoc loco, ne seiungamus quae coniungenda sunt neue tectum struamus fundamento non posito, recedere ab eo quem adhuc secuti sumus epistularum ordine Orelliano atque ante septimam decimam duodeuicesimamque tractare undeuicesimam. Quod eo commodius fieri poterit, quod de ea epistula breui exponere licebit, quippe cuius rationes dilucidae certissimaeque sint. An dubium est quibusnam Planci litteris Cicero responderit cum prima suae epistulae uerba scriberet haec: ‚Quamquam gratiarum actionem a te non desiderabam' et q. s.? Quis non recordetur undecimae epistulae prima illa uerba: ‚Inmortales ago tibi gratias agamque dum uiuam'. Ad has litteras cum rescriberet Cicero, in § 1.: ‚cum te' inquit ‚re ipsa atque animo scirem esse gratissimum', quae uerba respondent illis Plancianis (ep. 11. § 1.): ‚nisi forte ... ita sensurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo'. Cum autem Lepido minus confideret, in altera epistulae parte haec scripsit: ‚cuius' (gloriam dicit) ‚maximam facultatem tibi dei inmortales, ut spero, dedere'; Plancus enim in extrema sua epistula in hunc modum locutus erat: ‚Quod si nihil profecero' (agendo cum Lepido) ‚nihilo minus maximo sum animo et maiore fortasse, cum mea gloria uobis satis faciam'. De undecima igitur epistula non dubitabimus. Quid uero statuemus de quinta decima, quam illius quasi alteram partem esse supra demonstrauimus? Ad hanc quoque Cicero rescripsit. Propterea enim in 2. part. Plancum promissis honoribus et gloria adhortatus est, ut belli extrema perficeret Antoniumque opprimeret, quod ille in extrema epistula quinta decima scripserat se dis iuuantibus, si Antonius secum proelium committeret, audaciae perditorum, quos dicit, et suae sollicitudinis finem facturum esse, sin ille praecognito suo aduentu rursus in Italiam se recipere coepisset, Bruti fore officium ei occurrere. — At Cicero publicis quoque quibusdam Planci litteris se respondere significat, cum in 1. part. ep. 20. haec legantur: ‚Litterae tuae mirabiliter gratae sunt senatui cum rebus ipsis, quae erant grauissimae et maximae, fortissimi animi summique consilii, tum etiam grauitate sententiarum atque uerborum'. Quas publicas Planci litteras adparet et simul cum illis duabus ep. (undecimam dico et quintam decimam) perferendas esse datas et scriptas fuisse de

eisdem rebus. Quas igitur res gestas Cicero senatui gratas fuisse dicit, eae sunt, de quibus quinta decima epistula M. Tullium Plancus certiorem fecit, cum paucis diebus ante (quo die undecimam scripsit) in Allobrogibus constitisset, ut proinde ad omnia paratus esset; quod autem laudat sententiarum uerborumque grauitatem, eas sententias eiusdem generis fuisse puto, cuius undecimae epistulae (§ 3.) et haec est: ‚Cupio mehercules nullam residuam sollicitudinem esse; sed si fuerit nec animo nec beneuolentiae nec patientiae cuiusquam pro uobis cedam' et illa: ‚Non me inpedient priuatae offensiones, quo minus pro rei publicae salute etiam cum inimicissimo consentiam'. Itaque Cicero undeuicesimam epistulam ad tres Planci epistulas rescripsit, undecimam, quintam decimam, publicam quandam; item sextam decimam tribus epistulis respondere modo uidimus, duodecimam duabus et septimae et octauae publicae.

Iam redeamus ad eas quas praetermisimus epistulas septimam decimam et duodeuicesimam, de quibus mihi coniunctim cum ep. uicesima et utraque una et uicesima (21. et 21b.) agendum uidetur. Quarum epistularum uicesima Ciceronis est, ceterae Planci. Ille autem cum aliquotiens unam epistulam ad plures Plancianas rescripsisset, hanc uicesimam cum mitteret, contra fecit. Respondent enim eae litterae eisdem ep. 11. et 15., ad quas paullo ante rescripserat undeuicesimam. Nam quae in § 2. leguntur: ‚quod erit certius' (a Lepido non recipi Antonium) ‚si tu ad nos idem scripseris' (ad Brutum scripserat) ‚sed minus audes fortasse [1]) propter inanem laetitiam litterarum superiorum', his uerbis quintam decimam Planci epistulam significat [2]), ubi ille (in § 1.): ‚sedulitas mea', inquit ‚ut spero, et mihi et rei publicae tulit fructum'. Undecimam autem epistulam Cicero respexit, cum in 3. part. haec scriberet: ‚Studia mea erga te, quibus certe nulla esse maiora potuerunt' (negauerat Plancus Ciceronem, si de ipsius filii dignitate esset actum, amabilius quicquam facere potuisse) ‚tibi tam grata esse, quam ego putaui fore minime miror uehementerque laetor'. Neque mirabimur M. Tullium in uicesima sua epistula illarum Plancianarum, quamuis ad easdem iam accurate rescripsisset, mentionem fecisse, cum uicesimam dederit tribus fere diebus post undeuicesimam, neque his diebus ab illo ullam acceperit. Graeuius quidem eis quae supra transcripsi uerbis Ciceronem non quintam decimam Planci epistulam significare iudicat, sed septimam decimam et duodeuicesimam [3]), Schuetzius cum de quinta decima Manutio

1) Cicero si sententiam totam posuisset, non ea quae Manutius dicit scripsisset, sed haec: ‚minus audes fortasse recipi Antonium a Lepido — quod ego ne tibi scribendum sit uereor — scribere'.

2) Quod ita esse Manutius uidit.

3) Quod in edit. Elseuir. a. MDLXXVI. duodetricesima commemoratur, aut ipsius aut typographi q. d. errore uidetur factum esse.

5*

adsentiatur, putat Plancum Lepidi perfidiam iam una et uicesima epistula nuntiasse, ut illius sententia Cicero epist. 17. et 18., huius iudicio ep. 21. habuerit quo die uicesimam mitteret. Sed utrumque errasse adparet, cum neque sexto neque octauo neque nono die epistula ab Isara flumine Romam peruenire potuerit; uicesima enim ep. a. d. IIII. Kal. Iun. data est, Plancianae illae a. d. XIII., XII., X. Kal. Iun., id quod supra demonstrauimus. Accedunt alia. Si enim Plancus se errasse iam missis litteris esset professus, num Cicero tum laetitiam litterarum superiorum commemorasset? Num scripsisset quae scripsit in 2. part. haec: ‚Decipi te non potuisse, quis non uidet'? Num Cicero — quae res maximi momenti est — dubitasset de Lepidi consiliis? Sin autem cum Graeuio M. Tullium suam epistulam ex septima decima et duodeuicesima scripsisse statuas: quaenam est earum epistularum laetitia? Nonne plenae dubitationis sunt, plenae sollicitudinis atque etiam timoris? Nonne Plancus a Lepido ut Apellam ad se mitteret petierat, quo obside uteretur (ep. 17. § 3.)? Quid quod Cicero et ad septimam decimam et ad duodeuicesimam epistulam post Nonas Iunias rescripsit sextam decimam? Tantum abest ut ex eis epistulis (17., 18., 21. dico) Cicero quo die ipse uicesimam dedit uel unam habuerit, ut ne alteram unam et uicesimam (21 b.) quidem ante eum diem acceperit. Neque enim decimo die ex quo die data est reddi potuit neque Cicero de Planci fratris morbo in suis litteris plane tacuisset. Quae cum ita sint, Ciceronem adparet tres illas epistulas (21 b., 17., 18) accepisse post missam uicesimam, ep. 21. etiam post datam sextam decimam. Cui paucis eis diebus, qui inter 19. et 20. ep. erant, nullas omnino Planci litteras redditas esse cum ea res facit ut cognoscamus, quod suam uicesimam ad ep. 11. et 15. neque ad ullas alias rescripsit, tum illa, quod in ea se Planci litteras desiderare dicit, ex Gallia nihil uenire queritur nisi famam inconstantem, incertos nuntios, rumores dubios. — De Cicerone haec; uideamus de Planco. Dedit is quattuor epistulas (21 b., 17., 18., 21.) ita, ut alia aliam sequeretur interiecto uel unius diei spatio, uel duorum (id quod uni et uicesimae accidit); neque ullam earum ad Tullianas litteras rescripsit. De ep. 21 b. enim supra diximus, ubi quo die data esset demonstrauimus, ceteris autem Plancus id unum operam dedit, ut Ciceronem, quem in senatu suas partes agere uolebat, de eis rebus certiorem faceret, quas ipse in Gallia gereret. Neque ea mensis Maii parte, qua quattuor illas epistulas dedit, ipse ullas litteras a Cicerone accepit, quibus responderet, praeter ep. quartam decimam, cum ad duodecimam ep. undecimam rescripsisset, tertiam decimam — quippe quae Idibus fere Maiis aut paullo post esset data — non antea accipere potuerit quam scriberet unam et uicesimam. Ne quartae decimae quidem epistulae erat cur pluribus uerbis

